



1707


H. 111
15

1707



INDEX DISPUTATIONUM

- XII Disput. vide p. 4
sub Praesidio S. Fild. Bal
duini.
- 13 De verbis testamenti Iesu
Christi filii Dei, hoc est
corpus meum, hoc est sanguis
meus Pr. Balduini.
- 14 De Praedestinatione
Pr. D. Jos. Gerhardi
- 15 Oratio de Friderico Myco.
nio Theologo constantiensi et
primo Thuringarum Evangelista
Lib. D. Ant. Brub.
- 16 De Dei et Christi Oratoris
vivi Mediatoris nostri, apud
Creaturas gubernandas
universali et speciali pre
sentia. D. Bal. Mentzneri
D. Iust. Feurbornii etc.
- 17 Abstergio Calumniarum
Jos. Cocceii. Pr. Balb.
Mentzneri.
- 18 De Baptismo conclusionibus
comptehenfus. Pr. D.
Petri Biscaftris.
- 19 De persona Iesu Christi ser
vatoris nostri Pr. D. Ambro.
Reudenio
- 20 De Baptismo initiationis
sacramento Pr. D. Georgii
Mylly.
- 21 De visitatione eccle
siastica Pr. D. Georgii
Mylly.
- 22 Carolestadius redivivus
Centu Calixtianos Pr. D.
Georgii Mylly.
- 23 De verbo Dei scripto
et traditionibus non
scriptis. In Disputationes
X distributa. sub Praes.
D. Leonhardi Huteri.
Indice decem Disputationum
vide p. 2. in disp. 1.
- 34 Threnologia de obitu
Principis Friderici Wilhelmi
Jutro D. Georgio Mylly.
- 35 Panegyris Actus Doctores
iuriconsultorum etc Jos.
Stigelius de inaugu
ratione Acad. Salanae.
- 36 Modus inveniendi Concordiam
in contrariis. De electione ad
vitam a Sen. Hubero D.
2 In Morte Principis Saxoniae
- 37 Ad Tragediam Virgilianam
de Aenea et Lavinia
- 38 166 Selectiones Epistolae D.
Ph. Melancthonis ad D. Frid.
Myconium conscriptae et
- 39 De viro sancto Martino
Lutbero.
- 40 Votum nuptiale



LXVI.

SELECTIORES

CLARISSIMI VIRI D.

PHILIPPI MELANCHTHONIS,

ADD. FRIDE-

RICVM MYCONIVM

MAGNINOMINIS

Theologum conscriptæ
quondam

EPISTOLAE.

In communem Ecclesie usum pro-
lata & edita:

A

M. CYRIACO SNEGASSIO,
MYCONII PROGENERO.

Annexa est eiusdem studio & opera, Oratio fune-
bris de Myconio, à Pancratio Susebachio
habita: Rerum item ac Persona-
rum Index.

VOX MEMORABILIS,
Epist. 43.

Ego mea consilia, Deo volente, semper ad publi-
cam utilitatem, non ad privatos affectus accom-
modabo.

IENÆ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.
ANNO SALVTIS nostræ MDLXIVC.

Handwritten text on the right edge of the page.



EFFIGIES D. FRIDERICI
MYCONII THEOLOGI.





*A M P L I S S I M I S V I -
R I S, P R V D E N T I A, E R V D I T I -
one ac virtute ornatissimis, DD. Coss.
& Senatoribus Reipub. Gothanae, Do-
minis suis officiose colen-
dis.*



R A T I A V O B I S
& pax à Deo Patre, per IESUM
CHRISTUM filium, Salvatorem
nostrum. Ex optimi atq; doctis-
simi Viri, Domini M. Cyriaci
Lindemanni, p. m. Gymnasii ve-
stri Rectoris olim fidelissimi,
præceptoris ac Soceri mei a-
mantissimi relicta Bibliotheca,
præter alia fragmenta, etiam Domini Philippi Me-
lancthonis, aliorumque clarorum virorum Epistolæ, ad
venerandum atque sincerum Theologum, Dominum
FRIDERICUM MYCONIUM Gothanae Ecclesiæ olim pa-
storem ac Superintendentem, Prosocerum meum hono-
randum exarata, jure hæreditario ad me pervenere: quas
quidem toto sacrosancti Ministerii mei tempore, hoc est,
annos viginti quinque, intra privatos parietes asservavi:
donec superiori Vere, sedecim selectiores vereq; Theo-
logicas, à diversis Autoribus contextas (quarum in nu-
mero



mero etiam Philippicæ quatuor habentur) Smalkaldicæ
in lucem emitterem, adeoq; publici juris fieri permitte-
rem, bonis & doctis viris, ut intelligo, gratas, & ut spero,
utiles.

Has sequuntur hæ sexaginta sex, à solo D. PHI-
LIPPO ad eundem Myconium conscriptæ, quas & ipsas
ex pluribus selectas, & ex Autographis (præter duas)
descriptas, de doctorum virorum consilio & autoritate,
quod felix ac salutare sit, in publicum nunc edo, & cum
Ecclesia CHRISTI communico. Dignissimæ enim edi-
tione visæ sunt, quòd & eleganti stylo (ut istius viri o-
mnia) contextæ sint, & plurima ἀξιωματικὰ, scituque
utilissima, utpote de illius temporis Ecclesiarum & Scho-
larum, imò & Politiarum statu: de Hæreticorum dely-
riis; de conventuum certaminibus & periculis: de Tur-
carum, hostium crudelissimorum, tantaq; vi hodiè quoq;
grassantium, incursionibus & latrocinis &c. (ut ex ad-
iuncto Indice videre est) contineant. Intexuntur etiam
dulcissima solatia, pia vota, crebraq; ad arduas preces
pro Ecclesia, quæ in his terris cruci subiecta, humanisq;
præsidis sæpè destituta est, adhortationes. Insunt plu-
rimorum hominum doctorum commendationes exi-
miæ; & ipsi Myconio, operæ suæ, Ecclesiæ CHRISTI diu
& fideliter atq; constanter præstitæ, honorifica præben-
tur testimonia: quæ ad posteritatem extare convenit,
juxta illud Apostoli: Mementote Præpositorum vestro-
rum, qui vobis locuti sunt verbum Domini: quorum intu-
entes exitum conversationis, imitamini fidem. Et gra-
viter doctissimus Poëta Iohannes Strigelius in Academia
Salana fidelissimus olim & magnæ auctoritatis Professor,
in Epitaphio Myconiano monet:

*Quo duce, GOTHA, tibi monstrata est gratia CHRISTI,
Hic pia Myconij contegit ossa lapis.*

Doctri-

Doctrina & vita tibi moribus ille reliquit

Exemplum: hoc ingens, GOTHA, tuere decus.

Et quidem plenior hujus viri historiam à Theologo quodam insigni, suo tempore, benedicente DOMINO, expectamus.

Imprimis autem attento lectori ex his ipsis epistolis patebit & notum fiet, non modò quàm sincerè D. Philippus præcipua Ecclesiæ lumina, divinum Lutherum, (epist. 34.) fidosque ejus *παρυσάτας*, Pomeranum, Crucigerum, Ionam, Brentium, Menium, Myconium, &c. quorum passim amanter meminit, dilexerit: verum etiam quanto zelo (quod maximè contra Sacramentarios, Antagonistas nostros, scire ac meminisse prodest) Hæreticis, non tantum Anabaptistis, Antinomis, Pontificiis &c. sed & ipsis Cinglianis, tum temporis restiterit, eorumque fanaticas opiniones expressè rejecerit, sanamque doctrinam liberè & ingenuè professus fuerit: Id quod etiam Libellus de sententiis veterum, Myconio publicè inscriptus (cujus fit mentio epist. 26.) luculenter testatur.

Ex eo propter imperitiores allegare lubet, ipsius Philippi verba, admodum ponderosa. Fieri, inquit, potest, ut alia sententia (Sacramentariorum scilicet) blandiatur ocioso animo, quæ est magis consentanea humano judicio, præsertim, sic instructa & ornata argumentis eruditè cogitatis. Sed quid fiet in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentienti di à recepta sententia in Ecclesia? Tunc ista verba *HOC EST CORPUS MEVM*) fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta? quibus scripturis, qua voce DEI muniet se, ac sibi persvadebit, necessario fuisse

hinc interpretandam Metaphoram? Non satis periti videntur horum certaminum isti, qui tam facile ferunt nova dogmata, qui sic delectantur ingenio, ut magis admittentur vafre cogitatas rationes, quam verba scripturæ: Ego scio quam leviter in tentatione excutiantur nobis è manibus, rationes illæ dissentientes à scriptura, quantumvis antea visæ plausibiles. Et accidit hoc in ista controversia magis, quam in aliis, quæ universæ Ecclesiæ ac toti imperio minatur horribilem mutationem. Tanti scandali sustinere conscientiam sine claro & certo testimonio scripturæ, quis possit? Ego itaque sequor veteris Ecclesiæ sententiam, quæ affirmat, adesse corpus **CHRISTI** in Cœna: ac judico hanc habere scripturæ testimonium. Et paulò post: Recurrendum est ad scripturas: ubi cum non inveniam testimonium, quod corpus **CHRISTI** neget adesse in Cœna, aut interpretetur verba Cœnæ aliter, quam sonant, non habeo rationem satis firmam novæ sententiæ docendæ, &c. Hæc Philippus.

Vobis autem amplissimi ac prudentissimi viri, peculiariter hæc sexaginta sex epistolas nuncupari atq; dedicari fas & par fuit. Ut enim in vestram civitatem (cujus Ecclesiam beatus Myconius circiter viginti duos annos fideliter ac sollicitè verbo Domini instruxit & rexit) hæc epistolæ primùm transmissæ, & istic tam diu, donec anno 1568. in meam potestatem legitimè pervenirent, asservatæ sunt: ita etiam inter res alias, negocia ad Ecclesiam & Scholam vestram spectantia complectuntur. Grata insuper quorundam de Repub. adeoq; tota civitate vestra benemeritorum virorum memoria renovatur: & præter alios bonis literis consecratos adolescentes Gothanos, ὧν μνημοσύνη ἐν β' λογίᾳ, etiam M. Iohannes Machæ-

Machæropæus, vestræ quondam Ecclesiæ fidus Minister
ac Superintendens, vir bonus & candidus: (is enim est
Iohannes ille, qui epistola prima, ad docendam juventu-
tem idoneus iudicatur, & epist. 50. valetudinis causa Go-
tham redire scribitur.) & Valentinus Engelhartus, epist.
8. & 9. excellens olim Mathematicus, meliore de nota
commendantur. Quin & Thuringicis Ecclesiis cæteris,
vestræ civitati comprimis, quæ epist. 63. Ecclesiæ D E I
HOSPITIVM ET PRAESEPE CHRISTI dulcissimè ap-
pellatur, splendida tribuuntur elogia. Spero itaq; & edi-
tionem harum epistolarum cum annexa oratione fune-
bri de Myconio Reipub. Vestræ honorificam, & nuncu-
pationem vobis omnibus gratam & acceptam: seniori-
bus, qui hosce viros viderunt & audiverunt, etiam jucun-
dam & dulcem futuram: & ut sit, oro. Quod superest, di-
vinæ vos clementiæ & protectioni, meq; ac meos vestræ
benevolentia commendo. Fridrichrodæ, prope celebre
quondam Cænobium Reinhardifontanū, anno à CHRIS-
TO nato 1593. à condito mundo 5555. numero memo-
rabili, putà ad vulnera Domini ac Servatoris nostri IESU
CHRISTI in cruce extensi, mire congruente, & ut anti-
quitas tradidisse fertur, ultimum CHRISTI reditum por-
tendente: Die XVI. Novemb. quo pie & placide in
DOMINO obdormivit D. D. Caspar Cruciger, Myconii
in docendo Evangelio Lipsiæ (epist. 31. & 32.) Collega.

Ampl. V.

Studiosiss.

*M. Cyriacus Snegassius, Pastor ibidem,
Sup. Vinar. Adjunctus.
E P I.*

EPIGRAMMA AD LECTOREM.

Vtilis in lucem prodit iam, candide Lector,
Snegassij profert quem pia cura, liber.
Haecenus in tenebris latuerunt ista Philippi
Scripta: sed in lucem promere tempus erat.
MYCONIVM celebrem, magno charumq, LVTHERO
Feceris, hinc, quanti doctae Philippae, patet.
Fama volat volucris latum dispersa per Orbem:
Exploidi templis scripta, Philippae, tua.
Consona doctrina, quantum tua scripta, Lutheri,
Nitimur in templis & retinere Scholis.
Si tua non magni fierent monumenta Philippae:
Editus in lucem non foret iste liber.

Antonius Volckerus Eccl.
Tambach. Pastor.



D. PHIL.

D. PHILIPPI MELANTHONIS

EPISTOLAE.

I.

CLARISSIMO VIRO ET EGREGIA eruditione & pietate prædito D. FRIDERICO MYCONIO, Pastori Ecclesiæ Gotthanae, amico suo carissimo.



S Quoties mi Friderice, cogito de Ecclesiis singularum Regionum, gratulor & vobis & huic regioni, sic ornatas esse DEI beneficio Turingicas Ecclesias, ut nullam aliam regionem anteferendam arbitrer. Hoc decus, donec potes, cariss. Friderice, tueri studeas. Vides enim Principes quodam tristi fato, aus etiam præter fatum sua πολυπραγμοσῶν inutili, implicari alijs negocijs, quorum exitum ut regat DEVS, oremus. Perge igitur, quod facis, ornare tuas Scholas & Ecclesias. Iohannem idoneum iudicio ad docendam iuventutem, ac valde eius oratione delector: eumq; hortatus sum non solum ad hanc conditionem accipiendam, sed etiam ad hunc studiorum cursum, quem ingressus est, urgendum. Mitto tibi versiculos his diebus editos. Aliàs mittam grandiora scripta. Bene & feliciter vale. Die 7. Octobris. Salutem opto D. Portuno & D. Pancratio.

Philippus Melanthon.

B

Viro

II.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiae
Gothanae, suo amico.

S. D. Commigrabit ad vos breui Georgius ille, cui Scho-
la vestra gubernationem commendaturi estis. Nam ante bi-
duum de itinere suo mecum locutus est. Nunc gradum ma-
gisterij accipit, ut titulus ei aliquam offerat apud ciues com-
mendationem. Utinam verò idoneum ὑποδιδάσκων inue-
nire possimus. Mihi quidem nec diligentia nec fides in ea re
deerit, ac malo extrahere rem, quam subito vobis mittere ali-
quem, qui mihi non probetur. Inter bonos bene agier iubet
vetus formula Iuriscōs. quam nos quoque prestare decet, eti-
amsi haec vetera praecepta in his moribus valde exolescunt:
planeque nouam Sophisticam discit mundus, nescio à quibus ma-
gistris. CHRISTVS, qui puericiam iudicat esse Ecclesiae sua vel
puriss. partem, & studia conseruari vult propter Ecclesiam, ad-
iuuet consilia nostra in Scholis tuendis: qua quidem in re lau-
do tuam pietatem, quòd literas tanta fide ac diligentia defen-
dis. Nec dubita, quin officium Christo gratum facias. Noui ni-
hil habebam: nam & valetudo me domi tenet, & libenter abs-
tineo ab illorum congressibus, qui nostram Philosophiam deri-
dent. Meministi Apologum, testacea vasa colliadi natantia
iuxta area. Similis impendet κατάτροφὴ mihi in his dissimi-
lium amicicijs. Bene Vale 11. Ianuarij 1537.

Philippus.

III.

D. Fridrico Myconio &c.

S. D. Publico nomine gratias tibi, mi Friderice, ago,
quòd tanto studio ciues tuos ad literas retinendas, discendas
ac tuendas excitas. Spero & DEO hunc erga Rempub. ani-
mum

num probari. Nobis cura erunt adoleſcentes huc miſſi à te.
Et iam curaviſus eis habitationem. Præſcribam & diſcendi
rationem. Lonicerus coruū ſtudia ſatis liberaliter prædicat.
Noui nihil habemus, niſi Spenglerum Noribergæ decus & or-
namentum, extinctum eſſe &c. Bene Vale. Pro caſeis ago ti-
bi gratiam, 24. Septembris. 1534.

Philippus.

IV.

Viro optimo D. Friderico Myconio paſtori Eccle-
ſiæ Gotthenſis, amico ſuo ſummo.

S. D. Chriſtophorus ille, quem ad vos profecturum eſſe
arbitrabar, videbatur graviter ferre, quòd haberet ſecundum
locum. Itaq; non valde contendi, ut ſe ad vos conferret, ne quas
rixas excitaret propter ambitionem. Et noram ingenium eius.
N. iam concionator factus eſt, nec petit, quod tu verebaris,
ſcholasticum munus. Vult enim regnare ocioſus, id putat in
munere concionatoris facilius ſe conſequi poſſe. Mitto au-
tem hunc iuuenem PANCRATIVM, cuius mihi modestia in
omni genere cognita & ſpectata eſt: quem tibi commendo, teq;
rogo, ut eum Senatui commendes. Omnia facturus eſt de tuo
arbitrio atq; voluntate. Delegi eum ex multis: neq; enim vo-
lui ad vos mittere quenquam, cuius ingenium mihi ſuſpectum
eſſet. Bene vale. Sonabent poſt aſſumptionem.

Philippus.

V.

Viro optimo D. Friderico Myconio Paſtori Eccle-
ſiæ Gotthanae, ſuo amico.

S. D. Ludi magiſter à vobis conductus, præſtabit pro-
miſſum, ſeq; ad iter iam parat. Sed N. qui fuit Doct.

B 2

Lutheri

Lutheri minister, maluit esse concionator, quàm Grammaticam docere, ac sedere inter pueros. Plus ocij putant esse in junctiōe summa & omnium difficilima, in gubernatione Ecclesia, quàm in Schola puerili. Quarendus igitur alius Hypodidascalus erit. Nisi Sebastianum quendam ad Isennacenses; Is si Isennacenses eius opera uti nolent, pollicitus est vobis operam suam. Magnopere idoneum iudico ad docendum. Est enim bene literatus, & genus dicendi habet dignum laude. Vbi intellexeris quid de eo decretum sit ab Isennacensibus, mihi significa. Bene Vale. Lucia 1536.

Philippus Melanthon.

VI.

VIRO OPTIMO D. FRIDERICO MYCONIO pastori Ecclesiae Gotthanae, suo amico.

S. D. Etsi facile patior, vos uti vestro consilio de Schola vestra: tamen optarim in praeficiendis Hypodidascalis vos etiam aetatis rationem habere. Hunc iuuenem tibi commendo, non solum tuendum, sed etiam regendum, siquidem eius opera in Scholis uti volueritis. Hortaberis eum, ut adhaerere quotidiano usu & diligentia aliquid conetur ad ea, quae haecenus didicit. Videtur mihi satis modesto & placido ingenio esse. Mitto tibi oratiunculam nuper habitam, in qua etiam est quiddam de Aulica Sapientia, de qua nuper tuae literae philosophabantur: dixi enim de Sophistica. Sed utinam non etiam vos Ecclesiastici viri misceretis eam Euangelio. De meis rebus, hoc est, de Anglicis & Gallicis profectiōibus tecum breuiter coram loquar. Non enim possum nunc aliquid certi scribere. Apologiam recudo & ferè totum nouam facio, ut habeat minus Sophisticas. Eduntur & Loci communes. Utinam DEVS nostra studia fortunet. Bene Vale.

Φίλιππος.

Cl-

VII.

Clarissimo viro, egregia eruditione & pietate præ-
dito, D. Friderico Myconio Pastori Eccle-
siæ Gotthanae, amico suo carissimo.

S. D. *Aliquoties collocuti sumus Marcellus & ego de
Hieronymi studijs & disciplina: ac visum est utriq; commen-
dandum esse cuidam magistro Iohanni Stoltzio, nato in hac
urbe, marito, placidis moribus prædito, facundo, & bene literas
to, & ut apparet, magis congruenti ad mores & ingenium
Hieronymi quod toruitate non potest regi: Sed proponenda
sunt honesta exercitia, quorum voluptate ad discendum accen-
datur: ac promisit nobis operam suam & diligentiam ille
noster Cuius. Experiemur ergo in hanc partem quid profici
possit, & vobis significabimus euentum. Vtraq; re peccari sci-
mus, toruitate & indulgentia. Sed quadam natura impatien-
tes disciplina, nec seueritate nec comitate fiunt meliores. Disci-
plinam tamen DEVS præcepit: Quare & nos eam regere co-
nabimur, & vos vestris cohortationibus vrgete, ut discat in-
telligere & amare virtutem. Proximè scribam copiosius. Bene
vale & DEO commenda Ecclesiam suam, & has Politias mi-
sellas, quæ sunt Hospitia Ecclesiarum & literarum, ut Prasepè
CHRISTI infantis. 23. Octobris.*

Philippus Melanthon.

VIII.

Viro optimo D. Friderico Myconio, pastori Ecclesiæ
Gotthanae, amico summo.

De studijs Valentini Engelharti.

S. D. *Meministi nos, cum esses VViteberga, collocutos
esse de Gotthano adolescente VALENTINO, qui optima*

cū spe versatur in studijs Mathematicum, nec consecratur di-
uinationes, sed alteram illam partem plenam vera eruditio-
nis, quae motuum caelestium rationem ex Arithmetica & Ge-
ometricis demonstrationibus quarit. Opinor autem te de illis
ipsis artibus honorificè sentire, quibus amissis, conturbaretur
anni ratio, nullos haberemus certos fastos, nullam historiarum
seriem. Ideo prudentes Rerum pub. gubernatores semper illas
artes Geometricas, & descriptiones temporum, aequinoctio-
rum, Solstitiorum & alias affines conseruandas esse singulari
diligentia duxerant. Est autem diuinitas quaedam earum
artium, ut non admodum assequi eas possint, nisi illi qui caelesti
dono ad eas trahuntur. Quare videndum est his qui pra-
sunt studijs, ut ingenia quae animaduertunt apta esse illi gene-
ri, prouehant & in hoc studio retineant. Est autem Valenti-
nus singulari dexteritate naturae prae datus in tractandis his
artibus Mathematicis. Sed inopiam eius nosti. Rogo igitur
te, ut propter hanc ipsam causam, ut conseruemus Ma-
thematica, commendes eum Senatui, & quantum potes, des ope-
ram, ut stipendium ipsi prorogetur: Scis enim tempus destina-
tum praeterisse. Scio rem difficilem esse: Sed magna & sin-
gularis causa est, cui decet interdum cedere leges. Dignitas
Mathematicum moueat prudentiores, ut huius Valentini ha-
beant rationem. Nec tamen diu erimus oneri Senatui. Ego in
occasionibus intentus ero, ut primo quoque tempore ab illustri
principe impetremus aliquod Sacerdotium. Ea in re tu quos
que nos adiuuare poteris. Audi historiam. Lipsia ante annos
triginta fuit homo excellenti doctrina in Mathematicis,
Magister Alexander. Is docuit multos feliciter. Scripsit li-
brum, in quo omnes Aristotelis Geometricas demonstrationes
eruditissimè enarrauit: quem librum spero nos breui edituros
esse. Cum tanta esset eruditio: cum bene meritus esset de pub.
studijs:

Studijs: tamen Lipsiæ ita neglectus est, ut commigrarit in Op-
pidum Mysen, ubi sustentavit se scribendis libris cantionum,
& vendendo atramento. Tantam barbariem doctorum ne-
gligentium optimas artes, quis non detestetur? Quare nos
maiore studio has pulcherrimas artes tueamur & excitemus.
Mitto tibi oratiunculam de cuculo. De meis rebus quid sit
futurum nescio. Expectatur aduentus Fribergici conciona-
toris qui nos accusaturus est. Quicquid erit, tibi significabo.
Hic legi Anglici Regis excusationem, cur nolit venire ad Sy-
nodum. Miratus sum scripti libertatem. Inuehitur enim
summa acerbitate in Pontificem. De rebus Italicis silentium
est. Turca reduxit ex Peloponneso exercitum: Sed Venetis
ademit in discessu portum consinij. Ea res erit occasio novi
belli. Bene Vale, Sonabent post Francisci 1537.

Philippus tuus.

IX.

VIRO OPTIMO D. FRIDERICO MYCO-
nio pastori Ecclesiæ Gotthanæ, amico suo.

S. D. Decet Ecclesiam instructam & ornatam esse
omnium honestarum artium cognitione. Ideo nobis for-
titer pugnandum est cum illis, qui spretis disciplinis quan-
dam horridam barbariem in Ecclesiam inuehere conan-
tur. Quare tibi gratiam habeo, quod istic studia Philoso-
phia ciuibus tuis commendas: & rogo ut meis verbis Sena-
tui gratias agas, quod rationem habuerint Valentini. Vis
des quantum referat, doctrinam Religionis disertè, pro-
priè & artificum methodo explicari. Id non possunt im-
periti Philosophia: Sed hac omitto. Noui nihil habebam nisi
famam

famam de profligatis copijs Ferdinandi ab exercitu Turcico in Croatia finibus. Etsi deploro infelicitatem Ferdinandi, tamen Germanos ceteros accusandos esse potius sentio, qui propter priuata odia desunt communi causa & saluti patriæ. Meministi versum graecum: ἀνὴρ μὲν ἀνδρῶν σώζει καὶ πόλιν πόλιν. Significat enim, iure naturæ defensionem mutuam homines ac ciuitates in bonis causis inter se debere. Veneti impetrarunt, nescio qua pacto, ut Turca discesseret à Corcyra. Hic excusatur historiola de Turcibus Regibus, cui addidi præfationem. Cum edetur, mittam tibi exemplum. Fribergicus δημαγωγὸς satis ineptit. Acerrimè vituperat prædicantes Decalogum. Haec ineptiæ significant hominem esse τετυφωμένον. Bene vale. 6. Nouembris. Hodie adest D. Michael Syndicus Northusanus.

Philippus.

IX.

Venerabili viro D. Friderico Myconio, Gotthen-
sis Ecclesiæ Pastori, suo amico.

S. D. Amplius sex hebdomadis hic desedimus, priusquam veniret Caesar. Deinde venit pridie corporis Christi, quod faustum felixq; sit. Statim initio vetuit nostris ne concionarentur. De ea re toto triduo disputatum est: tandem decursum est eò, ut Imperator interdixerit conciones & nobis & Aduersarijs. Sibi retinuit ius constituendi concionatoris, sed ea lege, qui recitet nudum Euangelium. Sic hodie factum est. Hac sunt principia nostrarum actionum, quæ bene vertant. Præterea nihil adhuc agi cognouimus. Neq; sane quam spem vobis ostendere possim, intelligo. Nihil est in aula Caesaris, ipso mitius Casare. Alij omnes acerrimè oderunt nos. Legatus Pontificius Campegius hortatur Casarem, ut bellum suscipiat

piat contra nos. Et putant hoc agi Italicis artibus, ut Casari
in Germania negocium faciant. Ego pertentavi unius atq; al-
terius ex Hispanicis Scribis, animum: quantum proficiam, vi-
dero. Nihil enim adhuc promittere possum. Magnum om-
nino periculum est: quare orabitis Christum, ut nos seruet, &
donet pacem. Antiochus sic satis ad huc quidem regi se pati-
tur. Et fortasse esset futurus in officio, si nos aliquid aequi im-
petraremus. Vale. Augusta. Dominica post festum corporis
xpi 158.

Philippus.

XI.

D. Friderico Myconio, Pastori, Ecclesiae
Gothensis.

S. D. Nihil adhuc in his Comitibus actum est, praeterquam
quod confessio nostra exhibita est, qua publicè in consessu prins-
cipum lecta, dicitur tamen aliquos dimisisse placatiores. Varia
sententia de nobis à Principibus dicta sunt: sed nulla adhuc
promulgata: quia Eccius & Faber & alij istorum Complices,
priusquam pronuncietur, exhibebunt Imperatori Confutatio-
nem nostrae Confessionis. Accipio tamen, parum clementem
sententiam nobis expectandam esse. Caesar postulabit ut sibi
iudicium totius rei permittamus. Id si facere grauabimur,
mandabit omnes veteres ritus ac mores restitui, & ut resti-
tuamus, armis coacturum se esse minabitur. Quod si non mis-
tigabit hanc sententiam Caesar, magno in periculo versatur to-
ta Germania. Hispanici proceres praclare & sapienter respon-
derunt Casari, consulti de nostra causa: videlicet, si qua nostrae
opinionis pugnent cum Articulis fidei, hortentur Imperato-
rem, ut uniuersam suam potentiam conferat ad delendam hanc
factionem. Sin autem solum externa humana ordinationes

E

muta-

mutata sint, nihil faciat violenter. Verum ut certò scire possit,
vtrum nostra doctrina pugnet cum articulis fidei, an verò
tantùm humanas ordinationes aliquas labefaciat, commit-
tendam esse rem bonorum & doctorum & neutri parti addi-
torum iudicio, sed paucorum. Mirè mihi placet hac sen-
tentia. Vale. Ora $\chi\rho\iota\sigma\tau\omicron\nu$ pro nobis, 10. die Iulij. Salutat te
Islebius.

Φίλιππος.

XII.

Optimo viro D. Friderico Myconio, suo amico
summo.

S. D. Misi sacerdotem hunc in aulam, cum commenda-
tione accuratè scripta. Et supplicationem composui, cuius ex-
emplum tibi exhibebit Tabellarius. Tu bene fecisti, quòd formã
supplicationis misisti, ex qua argumentum & negocij summam
potui cognoscere. Christus faciat ut bene succedat res. Neq;
ego despero posse constitui $\pi\rho\alpha\gamma\omicron\iota\kappa\iota\alpha\varsigma$. sed magna est, ut scis, in
aula negociorum varietas, quæ facit ut paulò serius ista perfici-
antur, quàm nos vellemus. Obsecro te, quod facis, da operam
istic, ut rectè doceatur. Nos breui, ut arbitror, tecum erimus.
Scripsit enim nobis Langrauius, ut te ad congressum illũ addu-
camus, de quo scis opinor. Vocavit enim Landgravius Oecolam-
padium & alios quosdam, ut de COENA DOMINI colloquan-
tur. Mihi accessit ad reliquas meas miseras, acerbissimus lu-
ctus. Amisi enim filiolum minorem natu, suavissimum puerum &
quæ res incredibili dolore me afficit. Mitto tibi & Basilio $\eta\theta\iota\kappa\alpha$,
ut si quando voles tempus perdere, legas ista $\Phi\iota\lambda\omicron\sigma\omicron\Phi\acute{\epsilon}\mu\epsilon\upsilon\alpha$.
Cetera coram. Saluta meis verbis Basilium & Osualdum. Po-
stridie diui Aegidij. Vide ut cures pecuniam exigi.

Philippus.

Viris

XIII.

Viris optimis D. Friderico Myconio & Iusto Menio,
amicis carissimis.

S. D. Hanc epistolam die Gregorij scripsi, cum postridie
abituri essemus ad conuentum Ratisponensem. Et exercebar
curis grauissimis. Non metuo pericula priuata: spero etiam
pacem pub. Non defugio congressus publicos cum Aduersarijs.
Sed illud est mihi molestum, quod has actiones alij instituunt,
alij coguntur sustinere. Et quorundam consilia sunt Alcibia-
dea. Sed orate Deum, vt seruet & gubernet Ecclesiam suam,
propter filium suum, Dominum nostrum Iesum Christum, qui
pro nobis factus est victima. Hic iuuenis Iohannes Dietz VVi-
mariensis querit conditionem, & audiuit in Saltza desiderari
Gubernatorem Scholae. Si potest huic Iohanni consuli, rogo vt
Scholam illam ei commendari curetis. Ingenium, eruditionem
& modestiam eius probo. Bene valete. Die Gregorij. 1541.
Philippus Melanthon.

XIV.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiae
Gotthanae, amico suo carissimo.

S. D. Etsi mediocris est frequentia hic doctorum utri-
usq; partis, vt ex Catalogo cognosces, quem mittit Menius:
tamen differtur disputatio, donec adueniat Granuillanus,
qui hoc quidem tempore peccus esse Caroli Imp. dicitur. Multa
concurrunt, quae me mouent, vt hoc tantum agi ab Aduersa-
rijs existimem, vt nostros diuellant, & prauidicio huius con-
gressus damnatos, magis deinde pragrauent. Non hoc
agunt, vt concordiam querant. Nam & visera huc
adducta sunt inimicissima nobis, & pro Treuiro praerit
C 2 Mogun-

Moguntinus: & audio Granuillanum eò venire, non ut mitiget discordias, sed quia ei spes ostensa est à quibusdam defensionis. Ideo te adhortor, ut Deo commendes Ecclesiam, quam sanguine filij sui liberauit à Tyrannide Diaboli. Illud mihi in his periculis aliquam affert leuationem, quod inter doctrinae professores qui adsunt, & consensus est, & ut iudico mutua & vera beneuolentia. De tua valetudine ad nos scribes: si aduenturus es, expectabis initia disputationis, de quibus ad te scribam. Bene Vale. Die 3. Nouembris.

Philippus Melanthon.

XV.

Viro optimo D. Friderico Myconio, pastori Ecclesiae
Gotthanae, amico suo carissimo.

S. D. Nondum inchoatae sunt disputationes, etsi oratio Granueli nuper habita magnam expectationem concitauit. Postea coepit deliberari de ordine congressus. Ea de re nondum conuenit. Quare adhuc sumus ociosi. Quid speremus nobis concessuros esse Reges, qui atrocissima edicta recens proposuerunt? Gallicum edictam prorsus sanguine scriptum est. In Belgico etiam Eobani scripta prohibentur. Nullum oppidum esse aiunt, cui non sint impressa aliqua vestigia saeuicia aduersus doctrinam suscepta. Credo esse admixtos bonis aliquos fanaticos. Sed ipsi sine discrimine in omnes sauiunt. Quare tuis precibus & nos & Ecclesiam sanguine filij Dei redemptam DEO commendes. Erunt ei cura vestrae coniuges, & liberi ipsum inuocantes. Hac una me spe sustento. Scripsi pleraque hic in ocio, quae coram leges. Bene vale. Salutem tibi optant nostri Collega, D. Cruetger & D. Chilianus. Die 2. Decembris.

Philippus Melanthon.

D. Fri-

XVI.

D. Friderico Myconio, amico suo
Gothæ.

S. D. *V*imaria aulam inuenimus, sic (atis tranquillam,
DEI beneficio. Statim enim ut veni, properavi ad decuriam
Scribarum, ut quantum possem, explorarem quis esset rerum
status. Te adhortor ut Deum ores, ut pacem principi ac nobis
largiatur, utq; inter tot pericula nos defendat. Cancellarius
Pontanus nondum redijt. Christus faciat, ut breui feliciter re-
deat. Ipse enim valde vsui nobis etiam in his negocijs confici-
endis esse posset, qua mihi à vobis mandata sunt: tamen si nouus
Cancellarius operam suam benignè promiserit. Et ego non du-
bito, quin cupiat Ecclesias benè constitui. De propheta Breite-
bachensi diligenter cogitavi. Prorsus non est, admittendus ad
concionandum. Nam multum habet in ore: Communem re-
rum, & similia πολιτικὰ, qua sunt seditionum faces. Heri di-
cebat, iniquum sibi videri, quod vnus tam multa possideret, in
zerea alijs egentibus, cum DEVS ad omnium vsus res condide-
rit. Audis vocem popularem. Cauebis igitur nequid istic mo-
ueat ille miser. Iam paro literas ad principem de Gothana &
Isenachensi Ecclesia. Christus faueat nostris negocijs. Landgra-
uius dicitur cum vxore ad Ducem Georgium venturus, officij
causa. Utinam congressus ille profir ad pacem publicam. Princi-
pi iuniori valde placuerunt imagines seu pictura Regnorum.
Iohanni Oswald & Basilio dices salutem meis verbis. Tua vxo-
ri precor, ut feliciter pariat. Vale felicis. & ora pro nobis. Ex
foro vinario Dinstag post Epiphaniam, *V*Wolfgangus salutat
te. Menius adferet cetera.

Φίλιππος.

C 3

Viro

XVII.

VIRO OPTIMO D. FRIDERICO MYCONIO
pastori Ecclesiæ Gotthanæ, suo amico,

S. D. Deum precor, ut Portuno reddat præmia pro eius pietate erga Euangelij ministros. Pecuniam distribui, ut scripsi in literis ad Portunum datis. Mitto tibi libellum de rebus Turcicis, dignissimum lectu. Hic enim cerni potest, quàm acerbè, vigilantem & formidabilem hostem habeant Germania & vicina nationes. Ionas vertit in linguam Germanicam. Profectò digna odio est, ignavia principum Christiani nominis qui nihil minus cogitant, quàm de tanto tamq̃ crudeliter grassanti hoste reprimendo. Lutherus rectè valet, & nunc propositiones componit de Lege, aduersus quosdam ineptos, qui disputant, ne Decalogum quidem in Ecclesiis docendum esse. Scis, mi Friderice, me sæpè questum esse de ἀνορολογίας, hoc est, improprie dictis concionatorum, deq̃ Sophistica. Hac parit deinde absurdas & perniciosas opiniones. Vbi fuerint editæ Lutheri propositiones, mittam tibi eas. De filio Luca pictoris Iohanne mortuo, nescio an audieris. Huc allatæ sunt literæ, quæ affirmant eum Bononia febre extinctum esse. Parentes magno in luctu sunt, & nos cum parentum dolore afficimur, tum verò etiam dolemus nobis ereptum esse talem ciuem. Erat enim honesto ingenio præditus: & futurus fuit excellens artifex. Nisi iam de hac rescripsisti ad Lucam & eius coniugem, velim eos per literas consolere. Bene vale. Postridie Nicolai 1533.

Philippus.

XVIII.

Viro optimo D. Fridrico Myconio Pastori Ecclesiæ
Gotthanæ, amico charissimo.

S. D. Tranquillum, faustum & felicem annum precor Ecclesiis

clesis Christi & tibi, suauissima coniugi tua & dulcissimis liberis tuis. Nuncio Portuni dederam ad te literas & libellum tibi reddendum, de historia Turcica. Hunc an acceperis, dubito, cum eius nullam in proximis literis mentionem feceris. Nec verò puto te sine magno dolore atq; indignatione legisse, si euoluisti. Nam quisquis legit, non potest non irasci nostris Heroibus, quòd illam barbariem tanta vi grassantem non arcere conantur: quasi ipsis nihil impendeat periculi. Nuper Constantinopoli triumphus actus est de victoria recenti, & Itali, Germani & Boiemi ducti in triumpho truncatis naribus. Hunc hostem tam crudelem cum videant ob oculos & in conspectu Reges ac Pontifices nostri, tamen eo omisso interea tantum deliberant de trucidandis pijs Sacerdotibus, de delenda pia doctrina. Utinam Deus exuscitet animos Principum, ut rectè consulere Ecclesia & Reip. incipiant. Gallicus exercitus traductus est Alpes in Italiam. Casariana copia cum amplius anno Taurinum obsederint, nunc soluerunt obsidionem, & Gallis oppidum reliquerunt. Mito tibi D. Lutheri propositiones de Lege: scriptas aduersus insulsos clamores quorundam ineruditorum, qui contendunt Legem non esse docendam in Ecclesia. Significa an acceperis. De negotio matrimoniali respondi in alteris literis. Dedi enim huic nuncio binas. Nolui nostra negocia admiscere illi iniucundo negotio. Bene vale & rescribe. In die Natalis Domini 1538.

Philippus.

XIX.

Viro venerabili D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiae Gotthensis, amico suo præcipuo.

S. D. In itinere bono animo fuit Lutherus, donec ventum est Torgā. Ibi cognouimus, Viennā à Turcis summa vi oppugnari.

Nec

Nec ium dubij rumores sunt, sed omnia feruntur explorata certo. Ea re valde omnes consternati sunt. Princeps cum tota aula maximè videtur hoc periculo commotus. Ante nostrum aduentum fuit hic Dux Georgius, qui contulit consilia cum nostro principe, de mittendis auxilijs ad defendendam Austrisiam. Dicitur hilariter & amanter cum nostris conuersatus esse. Nunc igitur de comparando exercitu deliberatur: Hac cura sic occupat omnes, ut nihil loci sit alijs negocijs. Itaq; ego nihil legi cum ullo de negocijs inspectionis. Tu interea quantum poteris, curabis, ut tolerabiliter gubernentur Ecclesie. Adhortaberis etiam Ecclesias, ut orent Dominum, ut depellat Turcicum latrocinium. De Casare prorsus nihil audio. Forè tasse cum redibo domum, aliquid inueniam literarum ex Norrico missarum. Valde te rogo, ut historiam Monachi illius, de quo loquebamur Marpurgi, qui Danielelem enarrauit, credo nomen esse Hiltin, totam & diligenter nobis perscribas. Vale feliciter. Torgæ. Pridie S. Luca. S. Basilium meis verbis reuerenter & iube eum pro Ecclesia orare.

ΦΙΛΙΠΠΟΣ.

XX.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesie Gotthanae, amico suo cariss.

S. D. Lipsia tibi scripsi, me accepisse pecuniam à Portu-
no missam. Fuerunt Joachimici 18. ut scripsisti. Erant additi
& quinque aurei, quos dedi Scholastico Menovvingo, ad quem
erant unà missa litera. Post editas propositiones de Lege, nihil
noui hic excusum est. Turcicam historiam vertit Doctor Io-
nas, eamq; puto iam ad vos perlatam esse. Sed tamen exem-
plum tibi mitto, quod alicui amico legenti germanica, meo
nomine donabis. Audi rem nouam; Habemus hic Magistrum,
iuuenem

iuuenem sic satis studiosum, qui cepit conuellere articulum de
Trinitate. Negat Legem docendam esse. Negat esse in conuers
sis peccatum. De Sacramentis eadem affirmat, qua Anabapti-
sta tradunt. Itaq; princeps inclusit eum in arce in quoddam
habitaculum. Speramus tamen abiecturum esse hos horribi-
les errores. Bene vale.

Philippus.

XXI.

Clarissimo viro, eximia pietate & eruditione praedito, D.
Friderico Myconio pastori Ecclesiae Gotthanae,
amico suo carissimo.

S. D. Etsi & mea valetudo parum firma est: nam ad
alias miseras mihi nunc *λθιασι* accedit, sumq; hoc biduo tres
calculos magno cum dolore enixus: tamen operas Scholasticas,
in quibus me DEVS versari voluit, utcumq; facio, & pro Politijs
oro. Ceterum quid agant aut moliantur illi, qui Politias re-
gunt, ignoro: praesertim in hac nostra vicinia. Sed res Parthio-
cas ac Persicas nobis amici impertiunt. Ad Senatum Vratis-
laviensem scribitur, Turcos magno praelio victos esse a Persis,
ac maximum natu filium Tyranni Turcici captum esse, & ob
eam causam retractas esse copias Turcicas, quae fuerunt ad So-
phiam in Mysia. Et nunc in Hungaria praesidium exiguum
esse decem millium Turcicorum militum. Ipsi vero Hungari in-
citante Monacho novos tumultus excitaturi videntur. Nam
Monachus molitur, ut puer filius Iohannis, rex Hungariae crea-
etur. Iohanni Arnoldo dicas, iam queri gubernatorem Schola
Heringensis: quod si eam conditionem expetet, cum tuis eum
literis ad Ludi magistrum aut Consulem in Franckenhusen
mittito. Bene vale. Die 6. Iulij.

Philippus Melanthon.

D

Venera-

XXII.

Venerabili viro D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiae Gotthensis, suo amico.

Historiam accepimus Lutherus & ego. Nam Pontanus erat in itinere cum Principe ad Smalcalen profecturus. Digna res mihi videtur quae edatur in publicum. Sic enim interpretor: Deum ostendisse hoc exemplum, ut confirmaret imbecilles. Novi adhuc nihil habemus, etsi plerosque sentio mira consilia coquere, de quibus non libet scribere. Amabo te, expatieris huc ad nos post Natalem Domini. Idem scribo Menio. Nihil mihi in hac misera valetudine, & his animi doloribus, quibus subinde magis crucior, accedere queat incundius vestro conspectu & colloquio. Tuo πολυπρόσῳμῳ nunc non potui scribere. Impediebar enim valetudine & occupationibus. De clade Flandriae audisti opinor. Circiter tertiam partem scribunt aquis perisse. Hac prodigia haud dubie portendunt Imperij mutationem. Ego spem pacis prorsus abijcio, & hoc oro ut Deus det exitum his motibus mediocrem. Brentius scripsit mihi certo, iuxta Thermas Badensis Marchionis in aere magnum ac longum agmen peditum conspectum esse, iuxta quod incessit quidam augustiore magnitudine, quam reliqui, vibrans hastam, & quasi cohortans agmen, huc atque illuc vertens vultum. Bene vale.

Φίλιππος.

XXIII.

Clarissimo viro, eruditione & virtute praedito, D. Friderico Myconio pastori Ecclesiae Gotthanae, amico & fratri suo carissimo.

S. D. Acquiescunt animi pijs praecipue in lectione utilium
Scri-

Scriptorum & precatione, qua quidem & lectione accenditur. Ideo libenter tibi novas & eruditas lucubrationes mitto. Nunc igitur editam enarrationem Hosea dedi Scriba VValtershusano, ut tibi exhibeat. Significabis ergo an acceperis. In distributione stipendiorum duo sunt Gothani nominati, quibus iam sue pensiones numeratae sunt. Nam Bopij pecunia penes me est, quod ei velim indicari. Plures in Catalogo non erant scripti. De Adamo N. respondit princeps, placere sibi, ut detur ei à VVangenhemio stipendium. Non igitur huic Adamo ex aula missum est. Ac prodesset te curare, ut Quaestor vester nomine VVangenhemij ei penderet. Bene vale. Vidua Mantelij misera etiam adhuc sollicita expectat pecuniam. Quae in re si quid agi potest, quaeso annitere. Iterum vale. 3. Julij.

Philippus Melanthon.

XXIV.

D. Friderico Myconio Pastori Ecclesiae
Gotthensis.

S. D. Vide mi Friderice quorsum eruptura sit factio Cingliana. Postquam labefactata & prophanata Cæna Domini, bellè cogitatis rationibus absurda correxerunt, quæ sic videbatur humano iudicio: nunc incipiunt Φιλοσοφείν de tota Religione. Ille noster Campanus huc attulit magnum aceruum impiorum dogmatum. Et habet in tanto facinore Iuliacenses proceres, qui ausint eum commendare principi nostro, ac petere, ut nos vadatos sistat in iudicio. Decreuit enim nobiscum bellum gerere. Disputat Christum non esse Deum: Spiritum Sanctum non esse Deum: peccatum originale inane nomen esse. Deniq, nihil non transformat in Philosophiam. Hæc sunt illa Mysteria, quæ tibi exponere noluit, ut plus haberent admirationis

D 2

subito

subito in populo elata. Deus respiciat nos: teq̄ oro, ut huiusmo-
di Neophytos caueas. Vale feliciter. Dominica Latave, Torga.
Philippus.

XXV.

D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiæ
Gotthanae, suo amico summo.

S. D. De Pancratio etiam atq; etiam sollicitus sum, quem
si potes, aliquantisper dimittito, donec aër erit clementior.
Scriberem idem de te, ni scirem te officio istic alligari. Itaq; spe-
ro te Deo cura fore. At Scholam existimo nunc parum fre-
quentem: quare sine publico incommodo poterit abesse Pan-
cratius. De Turingicis Ecclesiis sanè leuas me cura, quod mihi
parum scribis de earum statu, & negocijs. Sed si quid erit, in
quo mea opera vobis opus erit, significabis, nec grauatim susci-
piam laborem, etsi in aula leuiter curentur Ecclesiarum negos-
cia. De Anabaptistis tulimus hîc in genere sententiam. Quia
constat sectam diabolicam esse, non esse tolerandam: Dissipari
enim Ecclesias per eos, cum ipsi nullam habeant certam doctri-
nam. Nihil igitur est ea Secta, nisi confusio & dissipatio pub-
licarum Ecclesiarum, praesertim cum aperte Ministerium verbi dam-
nent. Ideo in capita factionum in singulis locis vltima suppli-
cia constituenda esse iudicauimus: Quod ideo scripsi, ut eo fir-
miore animo fanaticis istis ac seditiosis hominibus aduerseris,
& in concionibus admoneas homines, quantum mali sit in ea
Secta, qua nullam habet certam doctrinam de summa Christi-
anismo. Mitto tibi propositiones casu his diebus disputatas:
Bene vale, & pro Ecclesia ora. Spirensis Conuentus, non pro-
cedit, quod nobis prodest. Iterum vale. Pridie omnium San-
ctorum.

Philippus
D. Eri-

D. Friderico Myconio, &c.

S. D. Tua assiduitas in mittendis literis est mihi gratissima: quare ut eam retineas, te vehementer rogo. Consilium vestrum de edenda confutatione aduersus Anabaptistas placet nobis magnopere. Et opinor, Lutherum literas ea de re ad Menium dare. Quod videris angere propter seueriores pœnas in homines facinorosos constitutas, duxi tibi meam sententiam perscribendam esse. Ego ab initio, cum primùm capi nosse Ciconiam & Ciconia factionem: vnde hoc totum genus Anabaptistarum exortum est, fui stultè clemens. Sentiebam enim ut & alij, hereticos non esse ferro opprimendos. Et tunc N. vehementer iratus erat Ciconia: ac nisi à nobis tectus esset, fuisset de homine furioso & perditè malo sumtum supplicium. Nunc me eius clementia non parum pœnitet. Quos ille tumultus? quot hareses postea non excitauit? Sic enim sentire debes: ut ex dentibus serpentis in fabula, natam esse gentem armatam ferunt: ita ab vno Ciconia orta sunt omnes ista factiones Anabaptistarum & Zinglianorum. Quare ita sentias: Magistratum debere uti summa seueritate in cohercendis eiusmodi Spiritibus. Vides quàm contempta sit autoritas magistratum: quàm sine securè improbi: quia leuitatem vel potius indulgentiam in Imperio tantam esse vident. Sines igitur nouis exemplis timorem incuti multitudini. Hac de re plura scriberem, si de tua prudentia dubitarem. Adhac nota tibi sunt cause seditionum, quas gladio prohiberi oportet. Anabaptista omnes, etiam qui minimum habent vicij, tamen aliquam partem ciuiliū officiorum improbant. Quantulacung, res est, tamen hoc tempore & in tot periculis, capitalis est. Cum initio leue videtur erratum, paulatim error parit errorem: ἀρχὴν ὡς τοῦ πᾶσι. Vbi exiguam particulam ciuiliū rerum cœperint damnare,

& via facta est ad ledendam maiestatem, non desinunt donec motum aliquem exuscitent. Nam Diabolus agit at impios homines, ne possint quiescere. Est autem Diaboli indicium, mendacium seu pertinacia erroris. Meministi Monetarium, à qualibus exemplis, & quam à paruis rebus initium fecerit tumultuandi. Venit mihi iam in mentem vocis Iona, quam dixit Marpurgi in prandio quodam, cum de Zuingliana Reipub. loqueremur: Wenn sie der Bauren paretz haben reformiret/ so wollen sie darnach der Fürsten Marder Schauben auch reformiren/darnach die Pferde vnd das Regiment. Propterea ego sentio de his, qui etiamsi non defendunt seditiosos articulos, tamen articulos habent manifestò blasphemos, quod interfici à magistratu debeant. Nam magistratus debet, ut alia publica ac manifesta crimina, ita blasphemias manifestas & publicas punire. Exemplum habemus in Lege Moysi. Et id fortasse secuti sunt Imperatores, qui Arrianos gladio puniendos esse constituerunt. Brentius nimis clemens est. Sed nondum cognouit usu, quantum contagium sit in fanaticis Spiritibus. Augustinus etiam permisit gladio coherceri Donatistas: de cuius sententia potes ipsius libres consulere. Lutherus Dei gratia recte valet, ac spero eum non omnino relicturum concionandi ministerium, tamen nunc non concionatur. Et meo iudicio debet habere rationem valetudinis Ego famam, de qua scribis, intelligo nimis veram esse: morior enim quotidie. Mitto tibi $\delta\iota\chi\omicron\nu\omicron\mu\iota\alpha\upsilon$ Pauli, libellum magno labore scriptum, quem habebis communem cum Basilio. Nunc excuduntur testimonia Scriptorum veterum de Cæna Domini, qua collegi, & epistolam prefixi ad te scriptam. Campanus misit huc horribilem disputationem. Vale. 1530.

Philippus.

Viro

XXVII.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiæ
Gotthanae, amico suo carissimo.

S. D. *Etsi cupiebam ad te prolixius scribere, tamen quia
properabat tabellarius, quaeso ut veniam des breuitati huius
Epistole. DEO gratias agamus, quod adiuit nostros Duces, ac
oremus ut eos perpetuo gubernet, ut celebretur gloria Filij Dei,
ornentur Ecclesia, & ipsi fiant socij caelestis vitæ. De Mezentio
caso inquit Aeneas:*

*Maxima res effecta viri, timor omnis abesto.
Sed nostros nondum vacuos solitudine esse arbitror.
Illud igitur potius cogitent, quod Ennius dixit:
At Romanus homo, tunc cum res est bene gesta,
Corde suo trepidat.*

*Restant alij hostes, in quorum consilia, voluntates, cona-
tus sint intenti. Nos interea doctrinam fideliter propagemus
& studia excitemus. Si uterq; ordo mediocriter suum officium
faciet, aderit nobis haud dubie Dux noster magnus, Filius Dei,
& Ecclesias Dei defendet. Audio nunc Mezentium Ratispo-
na in Monasterium se abdidisse, unde prodire non audet. Nam
ciuitatis iudicia metuit, quæ non vult ei promittere securitatẽ.
Hæc mihi heri narrauit ciuis Ratisponensis. Bene vale. Deum
oro ut te & familiam tuam seruet incolumem. Die 7. Sep-
tembr. Si liberos vis huc mittere in aërem salubriorem, pro-
mitto eis hospitium.*

Philippus Melanthon.

XXVIII.

Egregia virtute, pietate & doctrina prædito D. Friderico
Myconio Pastori Ecclesiæ Gotthanae, amico suo
cariss.

S. D. *Tu mihi optimus es testis, cariss. Friderice, me sape
ingen-*

ingentibus doloribus excruciaciari propter principum errata.
Mea quidem magis me deplorare oportuit, & deploro: Sed ta-
men sine cupiditate in Rep. versatus sum, & semper optavi,
aulas non miscere priuatos affectus consilijs de Repub. In eo
negocio, in quo tu vnum accusas N. multi praestantes viri &
tui amantes, etiam alios accusant. Sed nos haec negocia aulica
omittamus; de Ecclesijs potius & studijs nostris inter nos collo-
quamur. Mitto tibi Lutheri luculentum scriptum de vltima
concione Davidis, Scio tibi voluptati hanc lectionem fore.
Quid enim pijs dulcius est, quam confirmari in agnitione filij
DEI, & discere veram inuocationem? Sape deploro, populum
non discernere inuocationem suam ab Ethnica aut Iudaica
aut Turcica. Ideo mentionem eius rei feci in libello Colonien-
si. Et in hoc ipso Lutheri scripto illustratur discrimen. De his
rebus cum inter nos commentabimur, proteget Deus Ecclesias
& politias nostras: quas Deo assiduis votis commendemus. Ni-
hil enim video humanorum praesidiorum. Louanij recens, duo
honesti viri propter Euangelij confessionem necati sunt: & dua
honeste matrona viua defossa, quarum virtus in toto Orbe
praedicatur. Sinamus igitur furere Tyrannos, & a Deo petamus
auxilium & defensionem. Adolescens Hieronymus dicitur
mediocriter facere suum officium. Bis enim interrogauit eius
Praeptorem, virum grauem, Francum, qui cum regere stu-
det, non sine labore. Ero & ipse non solum hortator sed etiam
obiurgator, cum opus erit. Hac nocte calculus atrociter inua-
sit Lutherum: quare orabis Deum, vt suum ministrum seruet
& cruciatus mitiget. Bene vale. Die Augusti 27.

Philippus Melanthon.

XXIX.

Venerabili viro D. Friderico Myconio, amico suo.

S. D. Hic aiunt te rediturum esse VVitebergam nunc ex
Torga;

Torga: id valde opto. Multa enim ex me audies, qua scire te
opera precium est. Dux VVirtebergensis nominatim te saluari
suis verbis iussit, & honorificam tui mentionem fecit multis
verbis, si nostri itineris socius fuisses, vidissesq; in multis
locis miserè dissipatas Ecclesias, haud dubiè omnibus votis &
lachrymis etiam optares, ut principes & doctores deliberent,
quomodo consuli Ecclesiis possit. Noriberga frequentia in tem-
plis, & Ceremoniarum evταξία valde mihi placuit. In alijs locis
εὐταξία & barbaries mirum in modum alienat animos populi.
Vtinam cogitent hi qui praesunt, de sanandis his malis. Bene
vale.

Philippus.

XXX.

VIRO OPTIMO D. FRIDERICO MYCO-
nio docenti Euangelium Lipsiæ, amico suocarissi-
mo & sincero καὶ γνησίω.

S. D. Gaudeo te reductum esse Lipsiam. Nam de Ecclesiis
Mysnicis bene spero: ac valde optarim, Aulam studere κοσμεῖν
τὸ εὐαγγέλιον, & inuitare voluntates hominum: quod vides
quanta fecerit non solum diligentia, sed etiam arte Paulus. De
his rebus cum Caspate multa locutus sum, & in nondinis tecum
loquar. Ego inter ceteras occupationes & miseras edidi libel-
lum de Ecclesia, quem ut legas, te oro. Poterit augeri ac mutari
cum recudetur: quare mihi iudicium tuum scribes. Volebam
addere questionem de principum officio, quod mutare abusus
Ecclesiasticos debeant: sed nondina instabant. Nunc igitur ea
quaestio seorsim excudetur. Adorno & librum de Anima, in
quo sunt excusa pagina 16. Consumor dolore & laboribus:
quare rogo, ut Christo me commendes tuis precibus. Bene Vale.
9. Septembris

Philippus.

E

Viro

XXXI.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Lipsiæ Euangelion docenti, amico carissimo,

S. D. Postquam discessi à vobis, cæpi de periculis vestris diligentius cogitare, ac valde angor animo. Deum precor ut vos seruet ac gubernet: sed vos quoq; adhortor, ne temere prodeatis sine amicis. Metuo istic improborum vim & insidas. Vehementer rogo, ut quotidie nobis scribatis. Vidua Bromia respondi de sententia Doctõris Martini: quia nunc vehementius disputat de morte Patris, quid futurum esset postea, si quid in hoc coniugio incommodi accideret. Ideo prorsus dissuasi-
mus hoc coniugium. Literas ad viduam potes legere, & ascribere tuam sententiam. Esset ipse iuuenis animo imbecilliore lassurus suam sortem amissa conditione aulica. Deniq; multa memouent. Video quales sint iuuenum impetus, & quam infirma voluntates. Bene vale & rescribe. Saluta Casparum tuum Collegam, quem spero te probaturum esse. VViteberga feria sexta post Pentecosten. Hic Dei beneficio tranquillitas est. Oremus ut Deus det pluuiam.

Philippus Melanthon.

XXXII.

Viris optimis D. Casparo Crücigero, & D. Friderico Myconio docentibus Euangelium in Ecclesia Lipsica, amicis carissimis.

S. D. Precor Deum & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, ut agones vestros ac pericula gubernet, ac vos seruet. Non enim dubito, vos istic experiri virulentiam Pharisaicam, imò diabolicam, in hostibus Euangelij. Sed videtis ministerium vestrum seruire gloria Christi, & quantum profutura

profutura sit Reip. coniunctio harum regionum, intelligitis. Ideo in re tanta, a quo animo & labores & pericula suscipietis. Scripsimus ad Principem de Iohanne Cellario: Et is expectat aula sententiam, ut ex ipso intelligetis. Literas vestras anxie expectamus, vosq; rogamus, ut sapius scribatis. Hic Dei beneficio tranquillitas est, sed laboribus immodicis exercemur. Et siccitas iam difficultatem annonae renouat, quam ut DEVS mitiget, oramus. Bene valete. 6. Iunij.

Philippus Melanthon.

XXXIII.

Viro optimo D. Friderico Myconio, pastori Ecclesiae
Gotthensis, amico suo summo.

S. D. Delector officio tuo & Portuni, mi Friderice, tametsi a quo animo diutius expectaturus eram pecuniam. Gaudeo eam fuisse humanitatem & grauitatem aulicorum, ut Portuno non fuerint molesti. Vides igitur & diuinitus regi iustos, & eam esse vim virtutis, ut eam vereri cogantur etiam hi, quorum mores a virtute alieni sunt. Quaso te, mi Friderice, complectere in tuis precibus Aulam. Scis Imperia, Dei ordinationem esse: quare sine singulari ope Dei retineri aut defendi non possunt, praesertim cum Diabolus, qui est Tyrannus, maxime oderit & studeat perturbare eorum. Pugnandum igitur est precibus. Disputationes curabo tibi praescribi. Nuper enim propositiones, ut ego quidem iudico, utiles composui de sententia: DEVS vult omnes homines saluos fieri. Tractaui vniuersalem sententiam, reiecta illa periculosa imaginatione, quae promissiones facit particulares. Magna & digna doctis est disputatio de illa sententia. Et aliquando de ea coram colloquemur, etsi quid sentiam, in locis etiam significavi: quos cum legeris, quaso te, ut

F. 2

ad me

ad me scribas aliquid de tuo iudicio. Certè multi sunt loci simpliciùs & molliùs tractati, etsi alicubi sui breuior: Sed habui consilij mei rationem. Nuper accepi literas à Macedone: Et ipsi rescripsi. Deliberationes sunt de Concilio, quod, ut opinor, in Italia indicet Casar. Bene vale. Pridie Omnium Sanctorum.

Φίλιππος.

XXXIV.

D. Friderico Myconio amico suo
zu Gottha.

Ex Smalkaldia 1537. De Luthero.

S. D. Etsi Reuerendus D. Doct̃or sua manu mihi scripsit, urinam rursus erupisse ex iustis meatibus: tamen gratum mihi fecisti, quod idem mihi significandum esse duxisti. Agamus Deo gratias, quòd cœpit leuare morbum, & oremus, ut bonam valetudinem D. Doct̃ori restituat, quem meritiò omnes tanquam Patrem amamus, optimè meritum de tota Ecclesia, & veneramur tanquam Aurigam & currum Israel. Res optimas mirifico Dei dono patefecit, & gloriam Christi, depulsis horribilibus tenebris, illustrauit. Et Ecclesia adhuc tenera habet opus eius voce, consilio & autoritate. Rogo ut mihi significes, quomodo iam valeat. Bucerum tibi commendo. Qui eum hìc audiuerunt, præbent ei testimonium integritatis. Bene vale.

Philippus

XXXV.

Viro optimo D. Friderico Myconio, pastori Ecclesiæ
Gotthanæ, amico suo carissimo.

S. D. Hodie, mi Friderice, inde vsq; à media nocte magnos fasciculos literarum scripsi. Mittimus enim tuum continentianum

terraneum Hieronymum Nopum, virum optimum, Ratisbo-
nam. Mittimus VVolfgangum vestrum Norlingiacum. Dabis
igitur veniam breuitati. Tantum eò dedi hanc Epistolam Por-
tuno, quia inofficiosum iudicabam, illum dimittere prorsus sine
literis. Duriter seruió, & sapè de fuga cogito. Et aula res no-
stras, occupata suis negocijs, leuiter curat. Sed Deum oremus,
vt adsit Ecclesiæ suæ, & nos miseros iuuet & regat. Te Filius
Dei, qui est vita & Lux, seruet incolumem diu in hac vita
propter suam Ecclesiã. Bene vale.

Philippus Melanthon.

XXXVI.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ec-
clesiæ Gotthanæ, amico suo cariss.

S. D. Etsi speraueram Georgium in hac nostra vicinia man-
surũ esse: tamen D. Lutherus maluit eum redire ad Ecclesiã
N. nec putat permittendum esse Centauris, vt excutiant pa-
stores, priuatis affectibus. Laudo equidem D. Lutheri voluntas-
tem: sed optandum erat, vt ab aula adiuuaretur. Nec dubito
Principem velle Pastores Ecclesiarum defendi. Sed scis quã
dissimilis sit principi turba aulicorum. Nos ita sumus obruti
laboribus, vt sapè de fuga cogitem: ac nisi me senectus & vita
longioris desperatio teneret, latebras aliquas vbicunq; circum-
spectarem: Sed hæc aliàs. Danielis enarrationem tibi misi.
Pecuniam pro vidua Mantelij expecto. Quæso vt D. Portu-
num admoneas, vt eam mittat. Bene vale 29. Ianuarij.

Philippus Melanthon.

XXXVII.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiæ
Gotthanæ, amico suo carissimo.

S. D. Miror non redditam tibi esse Epistolam, in qua
E 3 longe-

longeños aliquot recensui. Sed sarciemus hanc iacturam.
Mitto igitur pagellam, in qua annotavi quorundam atates:
quas ego quidem libenter & sapè considero, non huius misera
vita cupiditate, sed quia ostendunt Deo cura esse Ecclesiam,
eamq; regi & seruari diuinitus. Primum ideo prorogata est vi-
ta Patribus & alijs claris viris, ut testes essent Ecclesie doctri-
nae. Deinde successio digna est admiratione. Ferè continua
est series, inde vsq; ab initio mundi, praestantium Doctorem
vsq; ad Augustinum. Postea tenebrae horribiles secutae sunt,
cum exortus esset Mahomet, & in Occidente Romana Super-
stitio cresceret. Nec verò poterat diuturna vita esse Pauli,
qui toties bestijs obijcitur, toties lapidatur, nisi diuinitus ser-
uatus esset. Vivimus igitur non tantum natura viribus, sed di-
uinitus. Ideo spero & opto, te Ecclesia & publica & domestica
tua victurum esse. De bello multa cogito. Sed Deum oremus,
ut det placidum exitum. Bene & feliciter vale. Die 12.
Julij.

Philippus Melanthon.

XXXVIII.

Domino Friderico Mecum concionatori
in Gottha.

S. D. Doleo me non potuisse nuper, cum hic esses, sapius te-
cum esse, & frui consuetudine tua vberius. Impediebant enim
me, ut scis, quaedam familiaria negocia. Ego tamen te ex quo
de fama noui, semper amavi: quia non solum purè docere, sed
etiam singulari modestia uti in docendo dicebaris: qua meo
iudicio, siquid modò iudicare possum, dignissima est Doctore
Christiana religionis. Quid enim plurimorum inconsulta ve-
hementia aliud effecit, nisi ut plena ea loca tumultuum essent.
Fuit

Fuit mecum iste tabellarius, parochus in Goltzbah, & questus est mihi, se miserè egere, exclusum à Parochia. Est autem indignissima res, miseros Sacerdotes sic fame cruciari. Rogo igitur te, ut miserearis ipsius. Fortasse non faceres alienum tua bonitate, si efficeres, ut in Parochia maneret usq; ad visitationem Ecclesiarum. Ego audiui eum: & quanquam est exigua doctrina, tamen non arbitror prorsus imperitum esse Christiana doctrina. Si autem non posse sufficere Parochia gubernanda videtur, victus ei alicunde sufficiens constitui debebat. Id esset æquius, quam quod in nostris regionibus sapè fit, ut pellantur è possessionibus. Scis hanc vocem miseram esse: Veteres migrate coloni, Vale.

Philippus Melanthon.

XXXIX.

Viro optimo D. Friderico Myconio pastori Ecclesie Gotthanae amico suo summo & cariss.

S. D. O gratam & dulcem vocem Spiritus Sancti cum inquit: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: In die mala liberabit eum DEVS. Quare quod ingenti meo dolore tu quoq; adficies, meq; agrotantem tuis sermonibus confirmabas, habeo tibi gratiam, ac Deum precor, ut vicissim te & tuos consoletur ac seruet. Tu quidem quantum te amem, facile perspexisti, cum videres in tanto meo mœrore me tamen recreari tua consuetudine. Id signum est non fucosa benevolentia. Cum autem non tam privati quam publici periculi causa, tantis doloribus conflētatus sim, rogo te ut causam ipsam Deo commendes, & Filio eius liberatori nostro Christo, qui venit, ut destruat opera Diaboli. Hic adhuc Dei beneficio tranquillitas est: Sed vicina incendia augent metum apud nos quoq;. Nam ante biduum Madeburga conflagraverunt aliquot domus. De Carolo Imp. nihil audimus, nisi quod

quod podagra laborare dicitur. Utinam hæc compedes teneant eum, ne obtemperet furij, quæ eum hortantur ad bellum in Germania mouendum. De Nerone Anglico nihil libet scribere. Deus hanc Echidnam perdat. In Italia aliquot oppida propter famem & arefactos fontes deserta sunt. Et spero & opto fore, ut breui illucescat dies ille latissimus, quo filius Dei se ostendet mundo, & mortuis reddet vitam, & Ecclesiam suam ornabit cælesti gloria. Bene & feliciter vale. Saluta amanter Portunum, eiq; meis verbis gratias agito, pro summis officijs, quæ agrotanti mihi præstitit. Ioachimus ad me scripsit literas plenas amoris erga me sui, in quibus etiam obiurgationibus me à mæsticia abducere conatur. Iterum vale. Die Augustini 1540.

Philippus Melanthon.

XL.

Viro optimo D. Friderico Myconio pastori Ecclesie Gotthanæ suo amico cariss.

S. D. Hesiodus inquit, Bonum vicinum magnum commodum esse. Cum igitur veniant Arnstadium duo docti & boni viri, Doctores Ioachimus Maurus, qui Ecclesie nostra Diaconus fuit, & Magister Christophorus Lasius, spero tibi hos Vicinos gratos fore, eosq; tibi commendo. Iussi ut ad te excurrant, & tuo consilio utantur, si qua res incidere difficilior. Nam tibi vicinia nota est. Scio eos maximè gaudere, quòd te vicinum habent, & sperare sibi magno vsui tuam amicitiam fore. Complecteris igitur eos tanquam Symmysas diuini Ministerij, eosq; diligenter adiuuabis. Bene vale. Die 22. Septembris 1540.

Philippus Melanthon.

Viro

XLI.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiae
Gothanae, amico suo carissimo,

S. D. Oro Deum Patrem liberatoris nostri Iesu Christi,
conditorem rerum omnium, & vitae autorem, ut te seruet in-
columem, propter Ministerium Euangelij. Profecto enim Eccle-
sia opus est fidelibus Ministris. Nec dubito quin tua vita cura
sit filio Dei Immanueli, qui pro nobis factus est victima, & pro
nobis bellum gerit aduersus Serpentem autorem mortis, ac de-
fendit suos Ministros. Menius nobiscum proficiscitur, quod fau-
stum & felix sit. Mitto tibi Epistolam, quam legito, & deinde
obsignatam à te, mitte Torgam aut Vitebergam, Inserui ver-
siculos de quadam Graeca allegoria. Fingunt Graeci Iasonem
post reditum oppressum esse ab ipsa naui Argo, quam guberna-
uit. Hac historia significant, saepe mole rerum suarum opprimi
magnos viros, ut C. Caesar oppressus est mole ipsarum rerum,
quas gessit. Vides quantam molem sustineamus iam: sed filius
Dei regit hanc nauim. Ora pro nobis. Bene vale. Isennaci die
Dominico post Luca.

Philippus Melanthon.

XLII.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiae
Gothanae, amico suo praecipuo.

S. D. Magister Caspar Bornerus, qui nos comitabatur è
Lipsia Vitebergam, vir excellenti doctrina, grauitate & pie-
tate eximia praeclitus, mittit tibi historiam rerum Italicarum,
cuius mentio obiter in curru incidit, vultq; extare id apud
te, $\mu\eta\mu\acute{o}\sigma\tau\omega\upsilon\upsilon$ sui erga te amoris. Et vicissim petit xenion, hi-
storiam Monasteriani furoris: quam ordine integram, quan-
tum potes, perscribito. Ego literas resignaui, tibiq; idem iuris in

F

meas

meas concedo. Κοινὰ γὰρ τὰ Φίλων. Hodie tuas literas accepi de pecunia. Tuum officium laudo, quod Iacobo prospexisti: delectemur enim nostra Philosophia, & inopiam nostram boni consulamus. Ego tamen Iacobo succenseo, quod cum multis maximis nostris beneficijs usus sit, iam in discessu suo non fuerit ciuilior, sed expilarit amicum. Quae nuper questus sum de calumnijs quibusdam, sanabo mea moderatione. Itaq; te iubeo bono animo esse: Dabit DEVS his quoq; finem. Ac pudeas nos adeò esse molliculos, ut perferre leues iniurias nolimus, cum Christus tam horribiles erumnas nostra causa pertulerit. Audi Senecam dicentem: Dum inter homines sumus, colamus humanitatem. Non timori cuiquam, non periculo simus. Detrimenta, iniurias, conuicia, uellicationes contemnamus, & magno animo feramus breuia incommoda. Dum respicimus, quod aiunt, uersamusq; nos, immortalitas aderit. Doctorem Christianum Bair audisti opior decessisse ex uiuis. Dei beneficio Pontanus sic satis ualet. De Repub. scribam aliàs. Bene uale, & scribe, dum hic sumus, creberr: Sonnabents.

Φίλιππος.

XLIII.

VIRO OPTIMO D. FRIDERICO MYCONIO Pastori Ecclesiae Gotthanae, suo amico.

S. D. Agnosco candorem animi tui, mi Friderice, quod de nobis tantopere sollicitus es: sed ita scito, iam me deposuisse hanc offensionem, ortam ex illarum literarum acerbitate. Nam princeps satis amanter & familiariter hic mecum locutus est. Ego autem amo illud uetus Historici dictum: Amicitias debere immortales esse, inimicitias mortales. Itaq; te quoq; iubeo abijcere sollicitudinem de meis rebus conceptam, tibiq;

tibi gratiam habeo, quod in amici periculo fidem praestiteris. Ego mea consilia, Deo volente, semper ad publicam utilitatem, non ad priuatos affectus accommodabo Princeps in mensa de te & Iusto amantissimè loquebatur. D. Pomeranus mihi scripsit ante paucos dies, ac mirificè probat literas Augustanorum & Ulmensium. Deus faciat ut fiat vera & solida concordia. Certè hoc semper optaui. Bene & feliciter vale. 4. Octob.

Philippus.

XLIV.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiae Gotthensis, suo amico summo.

S. D. Mitto tibi sententiam de negotio matrimoniali cuiusdam in Quæstura Reinhardsbornensi: teq; rogo, ut Quæstori eius loci significes, nos non approbare coniugium vitrici ac viduae priuigni. Nam licentia vulgi omnino refrenanda est: sed si in aula aliud impetrauerit, nihil ad nos. Te oro, mi Friderice, quantum potes, des operam, ne tibi sit rixandum περὶ πολιτικῶν πραγμάτων cum tuis ciuibus, & illum fictum amicum fucatis officijs retinere studeas, ne homines improbi desiderare in nobis ciuilitatem & comitatem possint. Omnino, ut vides, grauem seruitutem seruimus, qui iam docemus Euangelion: sed tu videbis mundum pœnas huius crudelitatis daturum esse, & breui id fiet. Nam hæc ætas non erit tranquilla, Macedo haud dubiè aliquid magni mouebit, nec me tam mouent Turcici rumores, quàm Macedonis fata. Bene vale.

Philippus.

XLV.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiae Gotthanae, amico suo cariss.

S. D. Ecclesia nostra rursus noui terrores incutiuntur.

F 2

Hæte-

*Haëtenus cum Romana Tyrannide bellatum est: nunc accedit
terror Turcicus. In Hungaria audio ciues Budenses & Pestien-
ses sua sede pulsos & in Bosnam missos, retentis Buda & Pestia
mulieribus & puellis. Et vrbes hæc duæ cum mulieribus & pu-
ellis ac facultatibus ciuium attributa sunt Turcicis militibus
tanquam Colonis. O rem miseram. Tales coniugum diuulsio-
nes nullas fecerunt Monarchia veteres. Ideo apparet, hoc Tur-
cicum latrocinium esse postremum Diaboli furorem, precibus
vincendum, quæ à Deo defensionem Ecclesis petant. Nostri
Heroës sedent domi, deliberant fortassis, si quid rei seriæ agant,
certant inter se bellis. Sed oremus Deum, mi Friderice, ut nos
respiciat, & protegat Ecclesias suas, tuam coniugem, tuas filio-
las & filios. Bene vale. Die 3. Octobris.*

Philippus Melanthon.

XLVI.

Viro optimo, D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiæ
Gotthanæ, amico suo cariss.

*S. D. Expostulat nobiscum D. Doëtor Martinus, quod nul-
las acceperit literas nostras: quare curabis per Iohannem Ru-
dolfum, ut literæ nostræ transmittantur VVitebergam. Hic
Theologis nondum quisquam dixit, cur accersui simus. Nosti-
morem conuentuum: Doëtrina mentio postrema est, si qua ta-
men est. Quare non puto causam esse, cur huc magnopere cu-
pias venire. Si quid erit memoratu dignum, tibi significabo.
Brentius non adest, cuius mihi opera prodesse posset, siquid in-
cidet scribendum. Cætera coràm & de Ecclesia & de cæteris
rebus. Si iam degustasti libellum de Anima, queso significes mi-
hi iudicium. Bene vale. Dominica Latare.*

Philippus Melanthon.

Clariss.

XLVII.

Clarissimo viro, eruditione & pietate præstanti, D. Friderico Myconio pastori Ecclesiæ Gotthanae, amico suo.

S. D. De conuentu res digna memoratu ad me scripta est: futurum alium conuentum mense Octobri, in quo vult Imperator perfici inchoatas dogmatum conciliationes: aut pronunciaturus est ipse, quid de Religione Germanos sentire velit. Audis nouum & inusitatum exemplum dijudicationis controuersiarum Ecclesiæ: Sed Deum oremus, ut Ecclesias suas regat & defendat. Confirmari vocem tuam gaudeo, teq; magnopere oro, ut dicendi contentionem vites, quæ & pulmonem & Tracheam arteriam desiccet. Vides quietem hætenus tibi profuisse, & profuturam deinceps spero. Propositiones proxima disputationis tibi mitto: quarum lectionem spero tibi maiori voluptati fore, quam fabellas conuentus. Bene vale. Die 25. Maij.

Philippus Melanthon.

XLVIII.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiæ Gotthensis, suo amico præcipuo.

S. D. Etsi sæpè grauitèr saucians animum meum scandala, quæ à nostris oriuntur: tamen cum manifestam impudentiam atq; impietatem, deinde infinitam crudelitatem Adversariorum video, non nihil erigor, & gaudeo me non esse suffragatorem illorum Tyrannidis. Vide enim istorum Hypocritarum Pharisaicam religionem. Ne coniugium Sacerdotum approbent, lenocinia & infinita adulteria confirmant. O pius Patrem, qui maluit esse leno filia, eamq; multis vulgò prostituerè, quàm in coniugio Sacerdotis relinquere. Hanc impuden-

*tiam profectò puniet Christus, & ut puniat oro. Casus Arnsta-
diensis viri Iohannis N. nihil habet obscuri: si ut scribis, &
narrat ipse, res acta est, quod mulier eum, seducta ab impio pa-
tre, deseruit, nec voluit redire in gratiam, iure potest petere ut
fiat diuortium. Commendabis igitur eum comiti. Sed diuorti-
um fieri velim te iudice, & seruata vsitata forma iudicij, pu-
blicè citata rea. Vellem etiam te ad patrem mulieris scri-
bere, & grauius accusare eius impietatem. Id exempli causa
prodesset, ut videant homines affici indignitate rei. Mitto
tibi exemplum meae disputationis. Cum VVimariam veneris,
tantum mihi significes: statim enim eò accurram. Bene & fe-
liciter vale. Die diua Elisabetha.*

Philippus.

XLIX.

**Viro optimo D. Friderico Myconio, Concionatori
Gothensis Ecclesiae, amico summo.**

*S. D. Redit ad vos Hypodidasalus, quem tibi commendo
& tuendum & regendum: ac spero eum in tua potestate futu-
rum esse. Mitto tibi Rhetoricen à me hac astate obiter reco-
gnitam: quae etsi non est perpolita: tamen potest acuerè Stu-
diosorum iudicia. Noui nihil habemus nunc, nisi quòd is Co-
metes, quem in Germania conspeximus, visus est & in Gallis &
Italia. Romae etiam alia quadam prodigia conspecta esse nar-
rantur. Tenebrae toto triduo densissimae fuerunt, quae haud du-
biè significant tenebras Romanae ac pontificiae doctrinae iam
ruentis, sed ita ut periculum sit, successuras esse alias tenebras
tristiores, quales precedere extremum diem oportet. Quaso te
cum primum poteris, ut mihi scribas. De Comitibus nihil certi
adhuc habemus. Bene vale. Die Michaëlis.*

Φίλιππος.

Viro

L.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiæ
Gotthanae, amico suo carissimo,

S. D. Valetudinis causa Iohannes ad vos redit, quem tibi
commendo, teq. rogo, ut eum consilio iuves, & si erit opus, D.
Sturciaden adhibeas. Solent διαρροιαi accidere naturis, quæ
sunt obnoxia Phthisi. Ideo consulendi erunt periti. Circumfe-
rimus, ut vides mi Friderice, mortem in hoc corpore, & tamen
viuere aliquos in hac militia Ecclesiæ oportet, ut Dei nomen
celebretur in terris. Mitto tibi propositiones proxima dispu-
tationis. Is cuius in titulo mentio facta est, est honestus iuuenis,
accerfitus ad gubernationem Ecclesiæ in oppido Sueuico, cuius
Senatus valde diligenter petiuit, ut testimonio nostræ Acade-
miæ ornaretur. Seruiamus Ecclesiæ quæ mansura est, etiamsi
Imperia dissipabuntur, nec relinquamus nostrum munus pro-
pter insulitates aulicas. Expecto tuas literas, teq. rogo, ut
Menio scribas, ut mihi significet suum iudicium de Hierony-
mo, quem misimus ad gubernandam Scholam Molhusanam.
Commendaueram ei Andream Hebergensem, ad gubernatio-
nem Ecclesiæ Molhusanae accersendum. Is iam vocatus est ad
Ecclesiæ Salinarum Saxonicarum: Sed tamen inde trans-
ferri posset. Bene vale. Pridie Cal. Martij 1543. Salutem op-
to D. Portuno, & D. Quaestori.

Philippus Melanthon.

LI.

Clarissimo viro, eruditione & pietate præstanti, D. Fride-
rico Myconio pastori Ecclesiæ Gotthanae, ami-
co suo cariss.

S. D. Vtinam insulse tumultuantibus principibus concio-
natores

natores maiore lenitate fouerent Ecclesias. Nam omnia politica mala facilius tolerantur, cum animi leuationem vulgarium miseriarum habent, in congressibus Ecclesia, in auscultatione placida vera doctrina, in inuocatione. Hac solatia cum etiam erepta sunt hominibus, miseria est, qualis est inferorum. Hac utinam multi cogitarent. In N. ingenio alij vehementiam improbant: tantum mihi hoc artificium etiam displicuit, quod accendit D. Lutherum. Quid opus erat? Sed gaudemus sedatum esse illud dissidium, ac Deo gratias agamus. Luthero placuit collatio medicationis sui corporis, cum ab illo Cyclope Sueuo Medico seu carnifice potius cruciaretur, & medicationis corporis laceri Ecclesia. Astui enim legenti Epistolam. Respondit tibi amanter, etsi aliquid asper sit aceri, quod tamen tu prudentia tua lenias. Mitto partem enarrationis Lutheri in Genesim, nunc primum editam, qua & te oblectes, & cum ipse his consolationibus te erigas, & alios confirmes. Spero tibi munus gratum & iucundum fore. De Hypodidascalo deliberauimus hodie Marcellus, Cuno & Ego: mihi nec Fulda ille, nec Prutenus placet, cum talem postuletis, qui secundum locum teneat, & eruditione ac facultate scribendi ita sit instructus, ut stylum adolescentum formare possit. Nondum igitur decreuimus, sed quaremus aliquem his diebus diligentia & fide summa. Deum oro, ut defendat & gubernet Ecclesias suas & studia salutaria. Hac est decima epistola, quam hodie scribo. Ita obruimur laboribus. Magis tamen has Scholasticas operas facere libet, quam spectare in conuentu rixas Sophisticas, à quibus abesse gratum est, quodcumque est aulicum consilium. DEVM autem, aeternum Patrem Domini nostri IESU CHRISTI oro, ut mentes Principum regat & flectat ad salutaria consilia. Filius Iacobi Arnoldi mihi cura erit. Bene vale, & Deum pro Ecclesia & pro me ora. Rescribe, an nuncium tibi enarrationem Genesim exhibuerit.

Philippus Melanthon.

NOTA.

NOTA.

Lutheri responsum seu Epistola, cuius hic fit mentio ex-
rat inter sedecim illas ad Myconium &c, ante hac à no-
bis editas.

LII.

Venerabili viro D. Friderico Myconio, Pastori Ec-
clesiæ Gothanæ, suo amico.

S. D. Mi Friderice, Franciscus N. ad vos proficiscitur,
exploraturus nescio quid de suis Sacerdotijs. Eam rem ita agi
vellem, ne Osualdus offenderetur. Est enim habenda ei gratia
pro opera hæcenus nauata. Nemo alius extorsisset à Sacerdo-
tibus ea, quæ ipse extorsit. Idq; dicas Francisco. Volo te quoq;
quantum facere potes, conseruare cum eo λυκοφιλίαν saltem, si
non potest coire vera amicicia. Vides enim, quo in statu sint
omnia. Dissimulatione & patientia nostra oportet nos retinere
voluntates hominum. De morte Principis Iohannis audisse te
existimo. Christus det felicia auspicia Duci Iohanni Friderico.
Bene vale.

Philippus.

LIII.

Viro optimo D. Friderico Myconio pastori Eccle-
siæ Gotthanæ, suo amico summo.

S. D. Utinam Basiliam retinuissetis: & ego fueram ei dis-
suasurus profectiōem in Galliam, si scissem, prius ei resistendū
esse in Germania, in locis periculi plenis. Quid enim ager in
illis Epicuræorum collegijs? Quare Deus orandus est, ut for-
tinet eius consiliū. Senatui vestro rescripsi, rogans ut mi-
hi stipendiū modum indicent: de quo etsi scripsisti tu in tuis lites-
ris, tamen ego te inuidiā onerare nolo: id quod fieret, si cui ali-

G

quid

quid pollicerer, inconsultis tuis Senatoribus, de tuis literis. Et
me nosse certo stipendium oportet, ut pro modo stipendij idone-
um hominem quaram. Si promittent quadraginta, spero istū
Christophorum, cuius feci mentionem, ad vos profecturum esse.
Est autem bene literatus, & facundus, & bene peritus Musi-
ces. Neminem ad te, mi Friderice, mittam, quem non arbitror
in tua potestate futurum esse. Ideoq; hanc meam cunctationem
in optimam partem interpreteris. Non enim credas, quā dif-
ficile sit hoc tempore inuenire hominem tolerabilem, qui tutō
ad publica officia adhiberi possit. Noui nihil habemus hic.
Atq; utinam hac tranquillitas sit diuturna. Mitto tibi & Os-
ualdo propositiones meas de re ditibus. Nihil enim habebam
hoc tempore aliud. Apologia mea recuditur nunc, & ego lo-
cum de iustificatione magis etiam illustrare conor. Quaedam
enim in solutionibus Argumentorum mihi displicent. Luthe-
rus bene valet Dei beneficio. N. genesin exploravi, quem nunc
magis amo quā unquam, ac statuo hominem non fallacem
esse etsi est ingenio callido. Nunc excuditur Rhetorica mea:
quae ubi erit absoluta, ad te mittetur. Existimo enim tibi quo-
que vsui fore: vetera enim praecepta ad negocia horum tempo-
rum accommo: facioq; id eō studiosius, quō adolescentia le-
gens hos libellos pueriles inuitetur, ad cognitionem aliarum
nostrarum rerum. Opinor te scire, quid responderit Rex Gal-
liae nostris Principibus, qui per literas eum rogauerunt, ne pate-
retur se perPELLI ad arma contra nos capienda, nisi res in Syno-
do ritē cognita esset. Respondit humanissimē, significans se quos-
que magnopere optare, ut Synodus cogatur talis, in qua libe-
rum sit dicere sententias: Et concludit, nec sibi honestum &
Reip. Christiana perniciosum fore, si haeres armis dijudicaren-
tur, priusquam cognita essent. Intelligo varias in Gallia de
liberationes fuisse, quid responderetur. Sed sic est: Cor Re-
gis in

gis in manu Dei est. Etsi enim abduci ab hac sententia Galli
possunt, tamen hoc testimonium me delectat. Hac scripseram
cum ecce affertur fama de literis Regis Anglia. Audio enim
duriora aliquanto scripsisse: Sed tamen in summa etiam rej-
cere rem ad Concilium, & queri quod multi harent in Eccle-
siae abusus. Vbi videro literas, scribam certiora. Te etiam at-
que etiam oro, ut mihi statim rescribas. Lutherus iussit te
salutari suis verbis, teq; rogat, ut pro Ecclesia Christi ores. Bene
vale. 14. Iunij.

Φίλιππος.

LIV.

Venerabili viro D. Friderico Myconio amico suo
summo. Zu Gotha.

S. D. Neque ego tibi, mi Friderice, prolixè respon-
dere potui. De historia mortis adolescentis, quam scripsisti, ha-
beo tibi gratiam. Sed rogamus te magnopere, mi Friderice,
& Lutherus & Pontanus, & ego, ut rem certò exploratam no-
bis perscribas, & totam illius morituri orationem & testes as-
scribas. Lutherus enim celebrare decreuit, si rem comperit es-
se certam. Exemplum manifestum est, apud nos Ecclesiam
esse. Quaso te, hanc rem diligenter nobis cures & bona fide
perscribi. De Antiocho rogemus Deum, ut det pacem: Sed
ego omnino in hac sententia sum, ut arbitrer aliquem tumul-
tum excitaturos esse Papistas, ut ruant. Nam Roma fatum
urget eos. Hoc Octobri Tybris ita exundavit, ut iudicent
maius damnum accepisse Urbem ex illa exundatione,
quàm ante quinquennium ex direptione: praterquam quòd
tunc quedam preciosa νεμύδια perierunt. Mitto tibi li-
bellum: quem ubi legeris, mitte Menio. Non enim habebam
plura exempla. Noui adhuc nihil habemus. Caesar nondum
G 2 publica.

publicavit edictum aliquod contra nos. Bene vale. Nonis
tags post Martini.

Φίλιππος.

L V.

Viro optimo D. Friderico Myconio, pastori Ecclesiae
Gothanae, suo amico.

S. D. Gaudeo clementiorem apud vos aërem fieri, cum ob
alias causas, tum quod etiam tibi timeam. Oro autem ut Chri-
stus te diu seruet in Ecclesiae Ministerio, ubi vides quam paucos
habeamus fidos ac prudentes Oeconomos Mysteriorum Dei.
Reichebacho dicas, me negocium ipsius commendasse D. Cans-
cellario. Portunum etiam ei commendavi: Sed vos habebitis
occasionem opinor, iam cum Pontano loquendi in itinere. Facis
et enim, nisi fallor, iter istac ad pacificationem profecturus,
institutam à Palatino & Moguntino. Bene vale & saepe rescri-
be. Mitto tibi propositiones de pœnitentia. Nihil enim has
bebam hoc tempore aliud. Dominica Iudica.

Philippus.

L V I.

Viro venerabili D. Friderico Myconio amico suo.

Zu Gotha.

S. D. Mihi quoque silentium nostrum molestum est: quare
te rogo, ut tua assiduitate me ad scribendum inuites. Illud
verò molestissimum est, quod N. tantopere rogatus non misit
mihi historiam Mustela. Hanc velim te flagitare ab eo, &
mihi quamprimum mittere. Noui si quid habes ex vicinia,
amabo te significes. Non enim dubito quin motus futurus sit
de restituendo VVirtebergensi. Anglia Rex edidit articulos
contra Rom. Pontificem, in quibus Romani Pontificis autori-
tatem

tatem extenuat, & prouocat ad Synodum. Omnia ubiq; spe-
ctant ad insignem mutationem. Orabis igitur $\chi\rho\iota\varsigma\tau\omicron\nu$, ut tan-
tas tempestates clementer gubernet. De sacerdotijs Gothanis
non visum est scribere ad principem. Nam nos negocij circum-
stantias non satis scimus: & in aula scis hac leuiter curari. Ve-
rùm si ita tibi omnino videbitur, adiungemus nostram quere-
lam ad vestras literas, videlicet nomine Inspectorum scriptas.
Bene vale. 12. Martij.

Philippus.

L VII.

Venerabili viro, D. Friderico Myconio Gotthen-
si Pastori.

S. D. Postquam impetrari non potuit, ut exhiberetur nos-
tris confutatio Fabrilis, decursum est eò post longam concertas-
tionem, ut eligantur utring; aliquot boni viri & pacis studio-
si, qui de dirimendis Controuersis Religionam colloquantur.
Aduersarij elegerunt, ut accipio, Augustensem Episcopum,
Henricum Brunswicensem Princ. Cancellarium Coloniensem,
Cancellarium Badensem, Eccium, Monsingum, & Theologum
quendam Moguntini Episcopi. DEVS fortunet consilia Pacis.
Nondum tamen congressi sumus. Nunc quo in statu tota res
sit, habes. Landgravius hinc discessit, relictis tamen hic man-
datis. Fortassis is discessus prabet vulgo sermones apud vos.
Sed tamen hic non accipitur in malam partem. Hodie intelle-
ximus, Romæ Papam obsideri inclusum in arcem S. Angeli à
factione Columnensi. Verùm hoc non affirmo, Rumor est ad-
huc obscurior, quam ut pro vero possit narrari. Ora pro nobis
Christum, ut regat & conseruet nos, & donet pacem Ecclesie
& gloriam Euangelio suo. Vale. Die assumta S. Mariæ.
Augustæ.

Φίλιππος.

G 3

Vene-

LII.

Venerabili viro, D. Friderico Myconio Concionatori Gotthensi, suo amico.

S. D. Quod faustum felixq; sit, Spiram venimus pridie Dominica IV DICA. Principes quotidie de ijs rebus, quarum causa indicta sunt Comitia, deliberant. Frequens Conuentus est: Initio mandatum Casaris lectum est, quo abrogatum est Decretum superioris Conuentus, qui Spira fuit, in quo hac erant verba: ut liceret cuius principi Religionis negocia ita constituere, ut speret posse excusari DEO & Casari. Scis id Decretum haectenus tanquam vallum pacis publica fuisse. Nunc si aboleri patientur Principes, magno erimus in periculo. Res agitur non sine magna contentione in concilio. Quare te adhortor, ut CHRISTVM ores, ut nos respiciat ac defendat. Planè sumus hic despectio superbis, & irrisio locupletum. Tuam Prouinciam vide ut fideliter administres. Ruit enim doctrina Christiana sabinde, ut animaduerti. Hoc diligentius nos docere conuenit, ne funditus intereat. Vale feliciter, Freitags, ante Palmarum.

Philippus.

LIX.

Clarissimo viro eruditione & pietate praestanti, D. Friderico Myconio pastori Ecclesiae Gotthanae, amico & fratri suo cariss.

S. D. Carissime Friderice, Legit D. Lutherus Epistolam tuam accuratè scriptam de consilio D. Francisci, tuumq; studium magnopere probauit. Tunc autem cum tuas literas accepimus, iam & miseramus Principi qualemcunque deliberationem

rationem penè de vniuersa gubernatione Ecclesia: & intellexeramus, non futuras in Conuentu Principum deliberationes de Ecclesiis. Nam Synodus iterum vocatur Tridentum à Ro. Antistite, qui vetat, ne Carolus Imperator vllas de doctrina disputationes instituat: Sed gessimus morem Principi, cui fortassis nostrum consilium nimis lene displicebit. Non reuocamus Episcopos ad veteres Canones, vt aliquis Spartam ad veteres Lycurgi Leges, sed tantum ad hanc aeterni Dei immutabilem vocem, qua de Filio, Domino nostro IESV Christo, inquit: HVNC AUDITE. Quem si nolunt audire, quid attinet litigare de Canonibus? Habeant imperia & opes, sed audiant Euangelion Filij Dei, amplectantur, osculentur Filium Dei, quem cum tot iam varijs contumelijs audacissimè affecerint, parum spei est redituros ad sanitatem. Oremus totis pectoribus, vt nos regat Spiritu sancto, & colligat sibi aeternam Ecclesiam inter nos. Macedo honestissimè nobis promisit sua officia de Bomgartnero. Scholasticum vestrum mittimus iam in Francos. Quaso vt meam Epistolam inclusam mitti cures Arnstadium. Henricus ille pecuniam non misit. Bene vale. Die 18. Ianuarij.

Philippus Melanthon.

LX.

Venerabili viro D. Friderico Mecum, Concionatori in oppido Gotha.

S. D. N. hortatus sum, vt Ecclesia sua tranquillitati consulat, & desinat cum Ministro suo rixari. In tantis tumultibus publicis plus satis scandalorum est, quae onerant Euangelij gloriam. Hoc magis oportuit nos domesticas offensiones ac dis-

ac dissensiones sanare. Quid sit facturus nescio. Tu tamen hortare magistratus, ut eum compescant, si non volet habere modum sui. Quid enim attinet tam leues ac pueriles causas ad aula cognitionem reijcere? Princeps non ita vacuus est, ut istiusmodi nugas omnes considerare ac cognoscere possit. Vale mi Friderice. Et ora Deum, ut det nobis pacem. Dominica Exaudi.

Philippus Melanthon.

LXI.

Viro optimo D. Friderico Myconio, pastori Ecclesiae Gothanae, amico carissimo.

S. D. Iubet Paulus, ut multorum precibus Deo commendetur ipsius vita, ut pro eo seruato multi agant gratias DEO. Ita spero multos pro te iam vota facere, ac rursus Deo gratias acturos pro te seruato. Opus est enim Ecclesiae gubernatoribus fidelibus, quo in numero te esse scio. Quare opto ex animo, ut Deus seruet te ac restituat tibi bonam valetudinem. Sape ita cogito, nos exerceri tot & tam sauis morbis, ut clarè perspiciamus, nos in his periculis non natura viribus, sed diuinitus viuere. Te tamen hortor, ut labores & contentionem in dicendo modereris. Noua hac habemus. Quod faustum felixq; sit, desponsata est Iuliacensi Duci filia Reginae Nauarra, sororis Regis Gallici, mulieris pia, ut audiuisse te arbitror, qua quidem petiuit preces nostrarum Ecclesiarum. Quare tu quoq; ora bis, ut DEVS, Pater Liberatoris nostri IESV CHRISTI, conditor omnium rerum, faueat illi connubio & aspiret, propter Euangely gloriam. De Conuentu VVormaciensi editum iam est Caesaris Caroli edictum: quod, etsi nondum vidi exemplum, tamen rursus opinor euocabit nos. In aëre conspecta est imago Caroli Imp. minitantis scepro Leoni, ante ipsum stanti & quasi

quasi colloquenti: post quem stabat imago viri togati, dices
esse Lutheri eivova. Iudico significari conuentuum certamina,
quæ, oremus ut Deus gubernet. Hospitem medicum, virum
opt. D. Sturciaden & D. Langum amanter salutato meis ver-
bis, Bene vale: Die Angelorum 1540.

Philippus Melanthon.

LXII.

VIRO OPTIMO D. FRIDERICO MYCO-
nio Pastori Ecclesiæ Gotthanae, amico suo cariss.

S. D. Etsi in conuentu me odiosa & cura acria certamina ex-
recebant: tamen de tua valetudine, mi Friderice, cogitavi sapè
ac sciscitatus sum. Ac Deo gratias ago, qui te & Ecclesiæ suæ,
& tuæ domestica Ecclesiæ seruat: ac oro ut & vitam tibi pro-
roget, & vires restituat. Viuimus ipso afflante vitam mirabili-
ter, non nostræ naturæ viribus. Id ipse experior. De tota histo-
ria conuentus aliquando coram. Etsi enim mitto vobis scriptã
historiam, quæ summæ actionum & seriem indicat: tamen sa-
piens lector plura requireret, quæ singulorum fuerint volunta-
tes, qui fontes consiliorum. De his etiam peculiarem historio-
lam scripsi ad principem. Spero tamen has pagellas, quas mit-
to, voluptati vobis futuras esse: quas etsi nolo spargi in vulgus,
tamen Menio, Portuno, Quastori & πρυγοτιω imperties. Spe-
ro Ioachimum Camerarium commigraturum esse Lipsiam. De-
um ora, ut auspiciæ gubernationis Ducis Mauricij sint felicia.
Bene vale & rescribe. Die 22. Augusti.

Philippus Melanthon.

LXIII.

Venerando viro eruditione & pietate præstanti D. Fride-
rico Myconio pastori Ecclesiæ DEI in oppido
Gotha, carissimo fratri,

H

S. D,

S. D. Carissime Friderice, propter urbis vestra, quae certè
est hospitium Ecclesiae DEI, & Praesepe Christi, incendium,
magno dolore afficior. Sed sustento me cogitatione voluntaris
Dei, qui vult Ecclesiam subiectam esse cruci: Et tamen
eam seruat mirabiliter. Nunc totum corpus, id est vniuersas
Politias & Ecclesias harum Regionum clementer defendit, re-
presso Tyranno Brunsvicensi, id beneficium grati celebremus.
Sed ne leticia efferamur, rursus castigari partem aliquam si-
nit, ne securi & scythes nobis indulgeamus. Hac ad Regulam
conueniunt: visitabo in virga iniquitates eorum: Misericor-
diam autem meam non dispergam ab eis. Hac consolatione te
& Ecclesiam tuam erigito: Et oremus Deum, ut non accendat
totam iram suam, sed in ira misericordia sua recordetur, pro-
pter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum: ut ser-
uentur in his Regionibus reliquia Ecclesiae, & non extingua-
tur lux vera doctrinae. O Fili Dei Iesu Christe, crucifixe pro
nobis & resuscitate, λόγε ἡ εἰκὼν αἰδῖς πατρὸς, qui iram Dei
ingentem aduersus nostra peccata in te deriuasti, & es factus
propiciator, miserere nostri & intercede pro nobis apud aeter-
num Patrem: rege & serua nos. Data 6. Nouembris. Bene
vale & rescribe.

Philippus Melanthon.

NOTA.

Ad marginem huius Epistolae Myconius sua manu
haec sequentia ascripsit:

Qui mihi has literas attulerunt, referebant: hunc S. Vi-
rum Confessorem, Dominum Philippum, audito huius Urbis
incendio, illachrymasse: & post lachrymas haec scripsisse. Val-
de enim hanc Urbem propter Ecclesiam & Scholam ac Mini-
stros

*stros fideles diligebat. Arsit Gotha anno 1545. ultima Octo-
bris: Et fuit triduo silentium in Ecclesijs & Schola.*

LXIV.

Viro optimo D. Friderico Myconio, Pastori Ecclesiæ
Gothanæ, amico suo cariss.

*S. D. Opto ex animo, ut DEVS, pater Liberatoris nostri
Iesu Christi, reddat tibi corporis vires: ut diutius Ecclesia pro-
desse opera tua possit, & ut filiorum regere studia queas. Verum
si te euocare DEVS volet, mi Friderice, cogita ad qualem cæ-
tum discessurus sis: ad Deum & filium eius, nobis donatum,
ad Patres, Prophetas & Apostolos. Hos cernes, cum his dis-
putabis, qui sine Sophistica gloriam Dei tibi enarrabunt. Hos
rum colloquia adeo ardentem expeto, sæpe ut doleam me adhuc
in hoc mortali carcere retineri, præsertim cum assidue mihi
conflictandum sit ingentibus doloribus & periculis. Discer-
ptum me mallet, quam colludere cum Sycophantis, qui nunc
moliuntur fucosas conciliationes. Et tamen scis, me vocari ad
talia tam insidiosa negocia. Ideo te adhortor, ut & Ecclesi-
am & me DEO commendes. Mitto tibi de his periculis ora-
tiunculam. Adieci & propositiones de materia VVormaciæ
agitata. Bene & feliciter vale, & rescribe. Si proficiscar
ad Conuentum, habebis à me literas. Deus restituat tibi
corporis vires, ad utilitatem Ecclesiæ suæ. Calendis Martij.*

Philippus Melanthon.

LXV.

Reverendo viro, eruditione & virtute præstanti, D. Fride-
rico Myconio pastori Ecclesiæ Dei in oppido
Gotha, amico & fratri suo cariss.

S. D. Carissime Friderice, Sapè me hæc dulcissima vox Fi-
lij Dei in magnis doloribus consolata est: Nemo rapiet Oves
meas de manu mea. Nec queramus aliam definitionem Ovi-
um: sed simus contenti definitione quam Christus tradidit, qui
vocat OVES, audientes & amantes Euangelium. Tales certè
sumus. Ideo certo speremus in omnib. periculis huius vita &
mortis, nobis adesse custodem & defensorem nostrum Pastorem
Filium Dei. Luthero euocato ex hac mortali vita, mihi ad luētū
etiam cura & labores maiores accedunt. Filius Dei pastor ve-
rus non relinquat nos orphanos. Mitto tibi precationem, quā
scio tibi voluptati fore. Bene vale. 4. Martij. 1546. Ratisbona
disputat Maluanda, quòd dubitandum sit de remissione pecca-
torum.

Philippus Melanthon.

LXVI.

Reuerendo viro, eruditione & virtute præstanti, Domino
Friderico Myconio, Pastori Ecclesiæ Dei in oppido
Gotha, amico & fratri suo cariss.

S. D. Laudabunt Dominum, qui requirunt eum: viuent
corda eorum in seculum seculi, inquit Psalmus. Scio te fuisse ino-
ter pios Ministros Euangelij, requirentes DEVM. Ideo & tu
laudabis eum laticia inter Prophetas & Apostolos communi
exultans: & viuet cor tuum in seculum seculi. Talibus te pro-
missionibus Dei veris & firmis consolare. Fortassis & in hac vi-
ta apud dulcissimos liberos tuos adhuc aliquantisper laudabis
DEVM: quod vt fiat, opto. Si ante me ex hac arumosa vita
euocaberis, vbi potero liberis tuis benefacere, faciam fideliter.
Bene vale. 12. Feb. 1546.

Philippus Melanthon.

EPISTOLARVM FINIS.

APPEN-

APPENDIX DE OBITU
MYCONII.

PIE AC PLACIDE EODEM
ANNO OBIIT DOMINVS FRIDERICVS
MYCONIVS, die 7. Aprilis, cum septies septem dies LV-
THERO superstes vixisset: annos natus L V. Menses III.
Dies XVII. Currente ætatis anno quinquagesimo
sexto, qui est κλιμακτήριον.

Δόξα τῷ θεῷ.

ORATIO FVNEBRIS:


*De obitu Reuerendi viri, Domini FRIDERICI MYCONII,
Pastoris olim ac Superintendentis Gothani dignissimi.*

Recitata in Schola præsentibus vicinarum Ecclesiarum Pastoribus,
ante funeris deductionem, die VIII. Aprilis, Anno
Christi 1546.

A

PANCRATIO SVSSEBACHIO, RECTORE.

ORATIO.

VM OMNINO MIHI VOBIS ALI-
quid dicendum sit, charissimi adolescentes, antequam
venerabilem virum, D. FRIDERICVM, Pastorem
nostrum sepeliamus: dicam pauca de eius obitu in
Christo, & de DEI beneficio per Ministerium Eu-
angelij, quod vir venerabilis per viginti duos annos,
fideliter & cum magna virtute spiritus DEI admini-
stravit. Sed de primo breuiter: cum intelligam, expositionem secundi
loci prolixiorum futuram esse.

Hæc cum domi cum discipulis meis prandere cœpisset, hora
decima, vbi Christophorum Dursfeldium mecum haberem conuiuiam,
mittit ad me vir venerabilis, & pastor noster, iubens vt citò ad se ve-
niam. Postquam veni, animadueto eum grauius, quàm antea vnquam

H 3

decum-

dēcumbere, & luctari in extremis. Et quamuis, qui circumstabant, diuersum iudicabant: ego tamen (quia metui) intermisi illico officium meum in schola: & curauī omnia quæ debui, & quæ potui, tanquam ad eius valedictionem vltimam. Iussi manere Diaconum eius, Henricum Thilonem, intimum compatrem, & conseruum eius in docendo Euangelio: & quo in consolationibus conscientiæ suæ semper, dum nobiscum vixit, vtebatur. Deinde accersui per puerum, Iohannem Portunum, ciuē honestum & coniunctissimum eius amicum, qui illico venit. Non captabam turbam in hac causa. Quæstorem Iohannem Leonem similiter amicum eius coniunctissimum, & fratrem in Christo, accersiuissim, sed is in negocijs præturæ suæ absuit. Initiò plures cum eo non fuerunt: Vxor tantum, & pia eius familia & honesta, nobis astitit in orationibus. Itaq; hora duodecima statim incepit nobis valedicere, edita confessione fidei suæ, multis grauib; sententijs scripturæ citatis: de liberatione à peccatis per misericordiam patris cœlestis: de victoria mortis per resurrectionem CHRISTI: de spe gloriæ æternæ apud patrem cœlestem, per transitum ex hac misera vita: cuius penitus pertæsus fuit. De talibus materijs interlocutiones nostræ fuerunt, à duodecima vsq; ad horam tertiam, à meridie. Ordiebatur autem longam istam valedictionem suam, cum absolute publici Ministri Ecclesiæ. Et hanc ex sua propria admonitione petebat, cum neque mihi neque alijs forsan hoc in mentem venisset.

Accepta absolute orationem suam statim ad Deum conuertit: PATER CAELESTIS, IN MANVS TVAS COMMENDO SPIRITVM MEVM, REDEMISTI ME DEVS VERITATIS. Hanc orationem quamuis postea bis repetit: tamen cor meum iudicauit, cum ita ad absolute publici Ministri oraret, magis penetrasse aures patris æterni. Satis autem fit, sermonum omnium capita tantum attigisse: vnde sententiæ à vobis æstimari possunt. Scire autem debetis, quòd præcipuas sententias adduxit, & illas maximè, quibus in docendo plurimum vsus erat: & potuit habere delectum. Erat enim firmus à memoria & acumine mentis: quod bonum in grauiissimo certamine seruauit, quamdiu loqui potuit. Et quamuis interdum quiesceret, redibat tamen, & nobiscum continuabat sermones: Idq; tali gestu, vt amaret manum suam teneri à mea: quo testabatur fanè, se tamè pendere ex ore consolantis eum in nomine CHRISTI. Hanc autem humilitatem infans, cum ad ductum matris suæ per manum ire discit, illustri similitudine repræsentat: Factus itaq; Parochus noster doctissimus, in extremo suo cursu, infans beatus: quòd gauderet manu ductione. Intra tertiam autem & quartam, cum ei vox præcluderetur ex naturali affectione *phorias*, remiserunt quoq; cruciatu eius.

tas eius. Et ad hanc vltimam partem, quasi *καταστροφὴν*, intercedit pia & honestissima Fœmina, vxor quæstoris, quæ olim honestissimo ciui Iohanni Osvaldo nupta fuit. Et venit cum fratre mariti sui, VVolfgango Leone: Vt tamen ita Quæstor, per vxorem & fratrem suum cum eo in vltimis esset, qui eum in constitutione Ecclesiæ & Scholæ multum iuuit. Tot nostrum igitur adfuerunt: & vidimus omnes venerandum senem, quasi Simeonem alterum, laudare DEVM pro liberatione: cuius carmen bis quoq; lingua expressè sonuit, vt omnes syllabas tardiùs, quàm aliàs verba, numeraret, vidimus eum placidissimè in Christo obdormire, & animaduertimus cum gaudio (quamuis non sine mœsticia propter Ecclesiã) Christum verè esse Resurrectionem & vitam.

Talia adolescentes, cum de beato pastoris nostri discessu, ad vestram meamq; institutionem propono, erigor sanè contra mœrorem iustam, quem alioquin sic ferre non possem. Sed tamen cum vos intueor, non possum eum animum retinere: siquidem aniraduerto, me vobiscum charissimum patrem & amicum amisisse. Nolo autem iam hoc explicare, neq; si velim, forsan præ lacrymis possem. Fuerunt enim priuatæ eius virtutes insignes, & multa amplissima beneficia in singulos & scholam vniuersam. Verùm aliud tempus poscet à nobis alium sermonem. Vt ergo nunc aliquam gratitudinem animorum nostrorum declaremus, præsertim cum de sacerdotibus multi docti & graues viri adsint, qui ampliora à nobis poscunt: Venio ad Ecclesiastici Ministerij commendationem: vbi simul considerare iubemur consilium patris æterni, de redemptione generis humani per mortem filij sui dilectissimi. De talibus rebus vobiscum colloquar: si tamen antea quædam præmisero de venerabili & charissimo pastore nostro, quæ mihi ad eiusmodi expositionem dabunt occasionem aliquam.

Habuit quidem ante eum nostra ciuitas concionatores quoque Euangelij: sed alij sinceri, alij minus: quam rem nolo nunc disputare. Sed cum diligenter omnia quæro: animaduerto, defunctum Pastorem nostrum, primum fuisse, qui hoc cœleste donum ad nos pertulit, & cōstituit Ecclesiã, quam miserè turbatam & laceratam inuenit. Secundo cecidit aduentus eius in tempus turbulentissimum, cum omnia loca vicina seditiosis tumultibus flagrarent. Hic Pastor noster, quamuis abiectus in specie, sapiens tamen in CHRISTO, & fortis fuit in Spiritu DEI. Hac parte animauit conterritos: alia repressit furiosè tumultuantes: sollicitèq; cauit, ne Respub. Gothana aliquid detrimenti acciperet. Omnia autem gessit, scripsit & dixit autoritate doctrinæ cœlestis, quam ille cum magna virtute Spiritus DEI, & cum eloquen-

eloquentia vtili profiteri poterat. Et tamen, cum summum DEI beneficium ita malè hoc tempore accipiatur (sunt enim de nostris multi, qui negligunt: aduersarij autem hanc doctrinam vt seditiosam criminantur) putavi, hoc casu omnino aliquid dicendum esse de Ministerio Euangelij.

Dum PAVLVS ait: NON PVDET ME EVANGELII. POTENTIA ENIM DEI EST AD SALVTEM OMNI CRE-
DENTI: Ita sanè commendatur Euangelium, vt apud credentes nulla magis indigeat commendatione. Quid enim maius potentia DEI? Ad cuius vocem etiam impij non nihil mouentur, si extra prædicationem eam audiunt. Imaginantur enim aliquid sublime, ad fabulationem de Cyclopibus, aut forsitan aliquid stultius: siquidem rident, cum audiunt Apostolum; abiecti pastoris prædicationem, potentiam DEI intelligere. Aut si quid pij pudoris ipsis inest, vt ad nomen Apostoli aliquid concedant, tamen non magni faciunt: offenduntur enim humilitate. Intelligitis me non commendare personam sed officium, in quo pastor noster D. FRIDERICVS MYCONIVS, reuera DEI *Ἐπισκοπὸς* fuit in Ecclesia nostra: sicut consul bonus rectè comminister DEI dicitur in politia ciuili. Omnino itaq; talis persona fuit, quæ gefit officium Filij DEI. Et hoc quia cum magna fide & diligentia ad salutem multorum administrauit, magnas DEO gratias agere debemus pro dono eius admirabili: Vt cœlestes Spiritus, Angeli sancti (vt PETRVS ait) prospectant ad Ministerium, cum magna admiratione eorum, quæ DEVS pater æternus generi humano per hoc dispensat. Hoc sanè exemplum, cum ad nos propriè donum hoc pertineat, nos adhortari debet. Nunquam autem satis cognoscimus magnitudinem eius in hac vita. Ideo quamuis nobis absconditum sit cœlestis patris consilium, de remissione peccatorum in filio suo dilectissimo: tamen interim cum angelis venerabimur hoc opus misericordiæ DEI: sicut alias eodem modo venerari solemus creationis opus, (vt opus DEI, in filio, cum Spiritu sancto) etiamsi non intelligamus. Et tamen, vt aliquid de consilio Patris, in ordinatione Ministerij dicam, exponam vobis sententiam Pauli, sicut ille exponit sententiam Esaiæ (cap. 29. & 33.) I. Corinth. I. vbi sic ait. QVIA IN DEI SAPIENTIA NON CO-
GNOUIT MVNDVS PER SAPIENTIAM DEVM, PLACVIT DEO, PER STVLTITIAM PRAEDICATIONIS, SALVOS FACERE CREDENTES. Et certè ex peccato lumen rationis ita obscuratum est, vt de luculento lumine vix scintillæ tenues reliquæ sint. Deinde si ad eas tenebras, Diaboli mendacia accedunt, (sicut certè in hominibus omnibus fit, in quorum cordibus nullum verbum DEI est) impingit ratio vbiq; contra veritatem DEI. Et quia per Diabolum possidetur ratio; instituit seu erudit eam ad suam sententiam & iustici-
am pro-

am propriam superstitiosè inflatam, contra **DEI** sapientiam, quæ est timor & fides erga **DEVM**. Vt igitur **DEVS** pater confundat & perdat sapientiam humanam in Diabolo patre mendaciorum, & in discipulis suis, Sophistis, ordinauit prædicationem Euangelij, hoc est, misericordiæ suæ in filio, vt qui saluari volunt, credant in hominem crucifixum, hominem inquam, qui natura **DEVS**, ab æterno genitus à patre, vnus cum patre & spiritu sancto, sed in humilitate absconditus, vt & Diabolum & mundum perdat & tradat ad interitum æternum. Et **CHRISTVS** ipse Saluator noster, eiusmodi rationem reddit in Matthæo cum ait: **CONFITEOR TIBI PATER, DOMINE CÆLI ET TERRÆ, QVIA ABSCONDISTI HÆC A SAPIENTIBVS ET PRVDENTIBVS, ET REVELASTI EA PARVVLIS.** Stat igitur sententia, vt qui à peccatis, à morte, & à tenebris Diaboli liberari vult, submittat se prædicationi Euangelij **CHRISTI** crucifixi, & mortui quidem, sed contrà resuscitati per Spiritum patris. Secundò sciendum, quòd huius doctrinæ solus filius, verus Magister est & Professor. Solus enim vidit patrem, solus nouit mentem eius, & cui deinde ipse reuelat per Spiritum patris, in verbo diuinitus inspirato. Igitur Apostolus ex Psalmo ita concionatur: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem:* hoc est, Legem **DEI**: Vt credentes in Filium non amplius accusare possit coram Patre, aut eos repellere ab aspectu humanissimi patris: **ET DEDIT DONA HOMINIBVS:** Hoc est ordinauit **MINISTERIVM** in multis donis Spiritus sancti: per quod sibi Ecclesiam colligit filius **DEI**, hoc est, talem cætum, qui obedit Euangelio in pœnitentia vera, & consequitur remissionem peccatorum, per fidem in promissionem patris cælestis in **CHRISTO**. Habet autem in hoc suo Ministerio, homines Ministros, plærunq; humiles & abiectos, qui à Sophistis huius mundi luduntur, & crucifiguntur à Tyrannis, sicut Magister eorum **CHRISTVS**. Et hoc cum sciamus, muniamus nos veris commendationibus Euangelij, ne nos similiter ludendos præbeamus diabolo. Et ideò certè Ministri quoq; nobis, vel propterea chariores esse debent, quòd sustinent curam propter nostrâ salutem. Illos enim imprimis Diabolus odit & persequitur: Contra quem tamen mirabiliter à suo Pastore Christo defenduntur. Vnus enim verus Pastor est in cœlo, in tribus quidem diuinis personis, sed in vna tantum essentia, immensa & æterna: In terris similiter vnus Pastor **CHRISTVS** est, per vniuersam Ecclesiam. Et hoc ideo, adolentes, dico, vt verum Pastorem respiciamus in isto nostro tempore, cū præcipui eius Ministri euocantur ex hac vita: & qui supersunt, similiter expectant liberationem, propter mundi ingratitude: & quòd Sophistæ & Tyranni pergunt deteriores fieri. Non inusitatum hoc, sed

sed propriissimum mundi : hoc ordine ire : & ad veritatem homines ,
 qui mundum amant, deteriores fieri. Igitur filij charissimi, nos cum
 pijs doctoribus, qui adhuc supersunt, acquiescemus in voluntate patris
 cælestis, & cum illis per fidem in eius filium, communem liberationem
 expectabimus. Etiam si mundus negligit pastoratum Christi, & multos
 fame enecat: Tyranni quoque seu carnifices Diaboli crucifigunt &
 enecant doctores pios: Tamen intelligitur omnia fieri pro volunta-
 te patris, sicut scriptum est: **PERCVTIAM PASTOREM, ET**
DISPERGENTVR OVES GREGIS. Hoc enim non solum
CHRISTO dicitur, sed omnibus fidelibus Ministris eius, & omnibus
 qui credunt in eum. Latius quidem hoc patet, quàm vt ego nunc ex-
 plicare possim: neq; constitui. Sed omnes percussiones fiunt, secun-
 dum patris optimam voluntatem: qui primum in filio suo vnigenito,
 deinde filius in omnibus pijs doctoribus, vnicus & verus Pastor est.
 Ille enim regit & gubernat omnia ex voluntate patris. Ille est, qui per
 Doctorem Lutherum, reuelauit hominem peccati & perditionis, Pa-
 pam scilicet: quanquam Diabolus, pater eius (sed non pater ab æter-
 no) ad istam reuelationem valde indignatur, & mouet, vbicunq; po-
 test, bella contra confessores istius reuelationis. Excitat enim omni
 loco etiam in pijs Ecclesijs Sophistas & Tyrannos, eosq; conspirare
 facit pro defensione Antichristianismi. Et habet etiam ex Iuriscon-
 sultis aliquot, qui eum cum Sophistis suis & Tyrannis occultè & aper-
 tè iuuant. Altius ista dicuntur à me, quàm vt vos pueri intelligere pos-
 sitis. Intelligunt autem Pastores præsentis, qui partem aliquam pa-
 storatus **CHRISTI** sustinent: & qui iam huc introgressi, vt studia
 vestra iuuent. Verùm vt & vos aliquid de istis rebus intelligatis, sci-
 re debetis, Pastorem nostrum cælestem verè ad nos descendisse è sinu
 patris, per verbum, & illuxisse nobis, qui sedebamus in horribilibus
 tenebris peccati, mortis & Diaboli. Vfus autem est ad hoc opus suum
 diuinum & clementissimum, Doctore **MARTINO LUTHERO**: per
 quem veritatem Euangelij tanta luce restituit, quemadmodum ipse
 concionatus est discipulis suis & populo Iudaico. Secundò Pastor
CHRISTVS adiunxit Ministro suo Lutheri primario, multos insi-
 gnes viros, qui eum in isto mirabili opere **DEI** iuuerunt & adhuc iu-
 uant. Et inter illos **FRIDERICVS MECVM** fuit: quod nomen
 certè habet bonam **DEI** indicationem.

Cuperem iam hic immorari, etsi in principio de his rebus nihil
 proposui: extrahit enim me longius causa. Sed propter curationem
 funeris hîc desinam, ne simus alijs in mora. Et audiendus quoq; no-
 bis erit D. Iustus Menius, Vicepastor noster, antequam sepulturam fa-
 ciamus. Duo igitur tantùm addam, & quidem breuiter, in hortatione,
 quæ omnino necessaria sunt. **Primum, vt ad omnem memoriam Doct.**

MARTINI

4

MARTINI LUTHERI & fidelis discipuli eius, FRIDERICI
 MECVM, seu Myconij, imò omnium discipulorum eius, qui in CHRIS-
 TOSTO vel obdormierunt vel adhuc viuunt, gratias agamus patri cœle-
 sti, & Pastori eius Dominonostro IESV CHRISTO. Quare autem?
 Pro veritate Euangelij, per quam primùm HOMINEM PECCATI,
 hoc est, hominem Diaboli, PAPAM: & FILIVM PERDITIO-
 NIS, hoc est, mortis & damnationis æternæ, reuelauit: Deinde, nos
 ab eius mendacijs liberauit, & ex tenebris multiplicibus & horribili-
 bus in claram lucem vitæ æternæ, hoc est, veræ agnitionis suæ consti-
 tuit, ad certam spem salutis æternæ. Et hæc erit nostra gratiarū actio.
 Secundò orabimus toto pectore omnes & singuli, non iam tantùm, sed
 quoties talium virorum meminerimus: meminisse autem sæpè debe-
 mus. Quid autem orabimus? vt DEVS pater cælestis clementer lu-
 cem istam seruare velit: excitare multos pios & doctos Ministros in
 propagationem Euangelij, pro gloria nominis sui æterni. Est enim re-
 uelatus tantum Antichristus, non occisus. Quare minimè securi & o-
 ciosi erimus. Inuigilabimus sanis & rectis studijs: & orabimus per fi-
 duciam in CHRISTVM auxilium Patris, & gubernationem per spi-
 ritum eius. Quare autem? vt si pergat Papa furere cum Sophistis & Ty-
 rannis, ipse aduentu filij sui dilectissimi, hominẽ peccati & filium per-
 ditionis, spiritu oris sui interficere, & tanquam infernalem Draconem
 prorsus iugulare velit. Igitur pro Ecclesia per vniuersum mundum
 orabimus: etiam pro Principibus pijs, qui CHRISTO & Ecclesiæ
 eius diuersorium concesserunt: Inprimis autem pro ELECTORE,
 & LANDGRAVIO. Nec aliter orabimus, quàm quemadmodum
 CHRISTVS orare nos docuit, pro Ecclesia & ciuili politia. Propter
 pueros autem pronuntiabo orationem, vt illi ad meam vocem pro-
 nuncient in corde omnia verba CHRISTI: *Pater noster qui es in cælis.*
Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cælo,
ita & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debi-
ta nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus vestris. Et ne nos inducas in ten-
tationem. Sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, &
potentia, & gloria, in secula seculorum,
Amen.

D I X I.

1 2

Doctis.





DOCTISSIMO IUVENI IOHAN-
ni Bulebio, Moderatori Scholæ VValtershusa-
næ, suo amico charo.

S Heri vesperi post quartam, obdormiuit in Christo Ie-
su Vir optimus & à Deo ipso ad Euangelij Ministeri-
um excitatus, Dominus FRIDERICVS noster. Huic ho-
die funus fiet hora tertia. Ante tempus autem funeris,
circiter primam, habebit orationem funebrem. D. Pan-
cratius: ac sequenti hora publicè in templo D. Iustus Me-
nius concionem: in qua mentionem faciet Virtutum &
beneficiorum, quæ Christus per Fridericum nobis imper-
tijt: item de Ministerio Euangelij & æterna vita. Quare
duxi tibi tanquam præcipuo meorum amicorum signi-
ficandum, vt huc venias ac intersis Ceremoniæ funeris.
Quod etiam communicabis Pastori vestro, & reliquis,
quibus grata fuit & est memoria D. Friderici, & qui de
æterna vita cogitare volunt. Raptim ex Schola. 8. April.
anno 1546.

Christophorus Dursfeld.

I N D E X

INDEX RERVM AC PERSONARVM,
 QVARVM IN HIS EPI-
 STOLIS FIT MENTIO.

- Comitia Augustana, vbi Confessio exhibita, Epist. 10. 11. 57.
 Comitia Spirensia. 58.
 Comitia V Vormacensia. 61. 64.
 Colloquium de Cœna Domini cum Oecolampadio. 12.
 Humanissimum Regis Gallię responsum in Religionis negotio. 53.
 Scriptum Regis Anglici, quo inuehitur in Pontificem. 8.
 Literę eiusdem, quibus reijcit rē ad Concilium. 53.
 Articuli eiusdem contra Rom. pontificem. 56.
 Factio Cingliana. 24. 26.
 Secta Anabaptistica, non toleranda 25. 26.
 A Ciconia ortę sunt factiones Anabaptistarum & Cingliarum. 26.
 Antinomi. 9. 20.
 Fribergicus *Δημοκρατικός*. 9.
 Mustelę historia. 56.
 Lenocinium Pontificium. 48.
 Tenebrę toto triduo, Romę. 49.
 Romę Tybris exundauit. 54.
 Cometes & prodigia in aëre conspecta. 22. 49. 61.
 Turcica latrocinia & infestationes. 8. 9. 17. 18. 19. 21. 45.
 Vienna à Turcis oppugnata. 19.
 Sæuicia aduersus doctrinam in Gallia & Belgico. 15.
 Martyres Louanij necati. 28.
 Siccitas in Italia. 39. V Vitebergę 31. 32.
 Inclementia aëris Gothę, sæuiente peste 25. 27. 55.
 Gothanę Urbis incendium. 63.
 Magdeburgicę urbis incendiū. 39.
 Historia Monasteriani furoris. 42.
Etruscia Ceremoniarum in templis Noriberg: 29.
 Thuringicarum Ecclesiarum Encomium. 1.
 Politia, & Gothana ciuitas, hospitium Ecclesię, & præsepe Christi. 7. 63.
 Negocium matrimoniale in Quęstura Reinhardsbornensi. 44.
 Podagra Imperatoris Caroli. 39.
 Iohannes Hiltenus, Monachus, Danielem enarrauit. 19.
 M. Alexander, Mathematicus, at neglectus. 8.
 Propheta Breitebachensis, seditonem spirans. 16.
 Granuillanus, pectus Caroli. 14.
 Studiosus Magister, fanaticus. 20.
 Pastor in Goltpach, exclusus à parochia. 38.
 Obitus Lazari Spengleri, Syndici Noriberg: 3.
 Obitus filioli Dn. Phil. Melancthonis. 12.
 Obitus filij Lucę Cranachij, pictoris V Viteb: 17.
 Obitus Doct. Christiani Bair. 42.
 D. Mart. Lutherus rectē valet. 17. 19. 26. 53.
 Calculus Lutheri, Patris reuerendi & Aurigę atq; currus Israël. 28. 34.

Obitus Lutheri. 65.
 Labores & dolores Philippi Melanchthonis. 10. 13. 22. 30. 35. 36. 39. 41. 51.
 Calculus Philippi. 21.
 Philippus excruciatum propter Principum errata. 28.
 Philippus desiderat colloquia in altera vita. 64.
 Philippus verè amavit Myconium, ut appareret ex omnibus hisce Epistolis: maximè autem ex ep. 27. 38. 39. 41. 43. 55. 61. 64. 65. 66.
 Philippus libenter novas lucubrationes Myconio mittit. 23.
 Frid. Myconius Scholarum & studiorum egregius fautor & promotor. 1. 2. 3. 9.
 Myconius valet gratia apud Principem. 43.
 Myconius nominatim saluari iubetur à Duce VVirtebergensi. 29.
 Obitus Myconij. In fine Epistolarum, seu Appendice.

ALIORVM QVORVNDAM celebrium virorum Nomina.

D. Pomeranus. 43.
 D. Caspar Cruciger. 15. 31. 32.
 D. Iustus Jonas. 17. 26.
 Iohannes Brentius. 22. 26.
 Iustus Menius. 14. 16. 22. 41. 50. 62. & c.
 D. Iohannes Langus. 61.
 D. Ioachimus Maurus. 40.
 D. Gregorius Pontanus, Cancellarius. 16. 22. 42. 55.
 D. Michael, Syndicus Northuf. 9.
 D. Georgius Sturciades, Medicus, 50. 61.
 M. Christophorus Lasius. 40.

Ioachimus Camerarius. 39. 62.
 Iohannes Marcellus. 51.
 Iohannes Cuno 5. 51.
 M. Caspar Bornerus. 42.
 M. Iohannes Stoltzius. 7.
 Basilius. 12. 16. 19. 53.
 Pancratius Susebachi, Ludirector Gothanus. 1. 4. 25. 62. & c.
 Iohannes Leo, quæstor, coniunctissimus Myconij amicus. 62. & in Oratione funebri.
 Iohannes Portunus, ciuis honestissimus, & Myconij amicus. 17. 33. 39. 62. & c. & in Oratione.
 Iohannes Osvaldus Ciuis honestissimus. 12. 16. & in Oratione.
 Iohannes Machæropæus, aliàs Bulebius. 1. 50. & in Epistolio Orationi subnexo.
 Iohannes Rudolfus. 46.
 Iohannes Dietz, Vinariensis. 13.
 Valentinus Engelhartus, Mathematicus. 8. 9.
 Hieronymus Nopus. 35.

INDEX SENTENTiarum, ac Dictorum memorabilium.

Epistola consolatoria ad Crucigerum & Myconium, docentes Lipsiæ. 32.
 Consolatoria ad Myconium, tempore incendij vrbis Gothanæ. 63.
 Consolatoriæ contra mortem: Ultimæ tres. 64. 65. 66.
 Epistola de Longæuis, & cur vita prorogetur viris claris. 37.
 Grauem seruitutem seruiunt, qui docent Euangelion. 44.
 Quidam in S. Ministerio quærunt ocium. 4. 5.

Pastores

Pastores non rixentur cum ministris suis. 60
 Quomodo regenda iuniorum ingenia 7.
 Titulus Magisterij commendat adolescentes. 2.
 Purissima Ecclesiae pars, puericia. 2.
 In praeficiendis Hypodidascalis, etiam aetatis ratio habenda. 6.
 Difficile est inuenire homines tolerabiles, qui tuto ad officia adhiberi possunt. 53.
 Doctrina religionis, Artificum methodo explicanda. 9.
 Dicendi contentio moderanda. 46. 61.
 Ecclesia mansura est: imperia dissipabuntur. 50.
 Aula leuiter curat negocia Ecclesiastica. 6. 12. 25. 31. 35. 36. 56.
 Non relinquendum munus, propter infultitates aulicas. 50.
 Non permittendum Centauris, ut excutiant pastores. 35.
 Dissimilis Principi, turba Aulicorum. 36.
 Mos conuentuum: Doctrinae mentio postrema. 46.
 Iusti diuinitus teguntur. 33.

Virtutis magna vis. 33.
 Non naturae tantum viribus, sed diuinitus viuimus. 37. 61. 62.
 Διαφοραι accidere solent naturis phthisicis. 50.
 Circumferimus mortem in hoc corpore. 50.
 Magnum commodum, bonus Vicinus. 40.
 Inter bonos bene agier. 2.
 Dum inter homines sumus, colamus humanitatem &c. 42.
 Amicitiae debent immortales esse, inimicitiae mortales. 43.
 Dissimilium amicitiae, vasa testacea iuxta aerea. 2.
 Αγκοφιλία saltem conseruanda, si non potest coire vera amicitia. 52.
 Dissimulatione & patientia retinendae voluntates hominum. 52.
 Insignis studiorum Mathematicorum commendatio. 8.
 Hortationes ad preces pro Ecclesia. 13. 14. 15. 16. 19. 33. 35. 45. 47. 57. 58. 59.
 Κοινὰ τα φίλων. 42.
 Αρχὴ ἡμῶν πάντος. 26.
 Αὐτὸς μὲν ἄνδρα σώξει, καὶ πῶλις πῶλι. 9.

INDEX SCRIPTORVM QVORVNDAM LVTHERI ET PHILIPPI.

LVTHERI.

Enarratio in Genesin. 51.
 De vltima concione seu nouissimis verbis Dauidis. 28.
 Propositiones de Lege, contra Antinomos. 17. 18.

PHILIPPI Theologica.

Testimonia siue Sententiae veterum de caena Domini. 26.
 Loci Theologici. 6. 33.
 Apologia Augustanae Confessionis recusa. 6. 53.
 Libellus de Ecclesia. 31.
 Enarratio

Enarratio Danielis. 36.
Enarratio Osee. 23.
Libellus Coloniensis. 28.
Libellus de Principum officio,
quòd mutare abusus Ecclesia-
sticos debeant. 31.
Orationes: de aulica sapientia. 6.
De Cuculo. 8.
Propositiones de Sententia: DE-
us vult omnes homines saluos
fieri. 33.
Propositiones de pœnitentia 55.

PHILOSOPHICA.

Rhetorica. 49.53.
Ethica. 12.
Libellus de anima. 31.46.
Versiculi de allegoria Iasonis op-
pressi ab Argo 41.
Libellus seu historiola de rebus
Turcicis, à D. Iona in germa-
nicum conuersus, cum præfati-
one Philippi. 8. 17. 18. 20.
Propositiones de Reditibus. 53.

F I N I S.



94 A 7359

ULB Halle
002 625 679

3




Sb.

Retro

W 17

M. L. SYDOROVICH





18

LXVI.

SELECTIORES
CLARISSIMI VIRI D.
PHILIPPI MELANCHTHONIS,

ADD. FRIDE-
RICVM MYCONIVM
MAGNINOMINIS
Theologum conscriptæ
quondam
EPISTOLAE.
*In communem Ecclesie usum pro-
lata & editæ.*

A

M. CYRIACO SNEGASSIO,
MYCONII PROGENERO.

*Annexa est eiusdem studio & opera, Oratio fune-
bris de Myconio, à Pancratio Susebachio
habita: Rerum item ac Persona-
rum Index.*

VOX MEMORABILIS,
Epist. 43.

*Ego mea consilia, Deo volente, semper ad publi-
cam utilitatem, non ad privatos affectus accom-
modabo.*

IENÆ
TYPIS TOBIE STEINMANNI.
ANNO SALVTIS nostræ MDLXIV.